

# Wł. Lohn

---

## Doctrina Nestorii de mysterio Incarnationis

---

Collectanea Theologica 14/1-2, 1-37

---

1933

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## DOCTRINA NESTORII DE MYSTERIO INCARNATIONIS.

In multorum mentibus haec inveteravit opinio: Nestorium immerito ut haereticum reputari, cum ipsius doctrina prorsus orthodoxa fuisset, nihilque vel parum a fide Patrum Occidentalium distaret. Harnack († 1930) arbitratur: Nestorium definitioni concilii Chalcedonensis proxime accedere, placitaque infelicis Patriarchae Constantinopolitani cum his Patrum Occidentalium et speciatim S. Augustini valde concordare. Quare Caelestinus I. Nestorium condemnando, integerrimi hominis fidem injusta criminatione vexavit<sup>1)</sup>.

R. Seeberg, adductis pluribus Nestorii testimoniis (quae et nos infra adferemus), concludit: in christologia Nestorii nihil haeretici vel heterodoxi reperiri; adeoque contra omne fas et jus

---

<sup>1)</sup> A. Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte, Tübingen II. 1909<sup>4</sup>: Nestorius hat in seinen Briefen an den Papst diesem die Formel vorgetragen: „*utraque natura, quae per conjunctionem summam et inconfusam in una persona unigeniti adoratur*“. Das war aber im Wesentlichen die abendländische Formel, anders wusste es Caelestin selbst nicht. Er hat sich aber um die Formel nicht gekümmert, seine eigene Christologie bei Seite gesteckt und Cyrill Recht gegeben, in dem er Alles auf den einen Punkt *θεοτόκος* stellte, um wenigstens einen Schein der Abweichungen zu erzeugen, obgleich gerade hier Nestorius zu Concessionen bereit war. pp. 358—360. Ja man darf sogar fragen, ob Nestorius nicht dem Chalcedonense ganz nahe gestanden hat und ob er wirklich ein „Nestorianer“ war. p. 356.

supplicio addictum fuisse illum, cuius dicta et scripta cum „Tomo“ S. Leonis M. et definitione Chalcedonensi mirifice congruebant<sup>2)</sup>.

E. Caspar non solum S. Caelestino I. crassam ignorantiam christologiae antiochenae objectat, verum etiam asserit: doctrinam Nestorii a Romano Pontifice astute detortam atque deturpatam fuisse. Reapse nestoriana christologica minus a primitiva, traditionali et occidentali doctrina discrepabat, quam „mystica“ placita S. Cyrilli. Improbe ergo Nestorius ut haereticus usque hodie calumniatur<sup>3)</sup>.

F. Heiler censet; mirabilem divinamque unitatem utriusque naturae Christi gravi quidem periculo expositam fuisse per rationalisticam explicationem mysterii incarnationis, cuius fautor Nestorius fuerat, sed, qui praeconcepta, inquit, non ducitur opinione, nomen famamque Nestorii contra injustas obtreccationes defendet, necnon, ut huic innocenti victimae aequa existimatio restituatur, adlaborabit<sup>4)</sup>.

<sup>2)</sup> R. Seeberg, Lehrbuch der Dogmengeschichte, Leipzig II. 1923<sup>6</sup>. Sieht man von den Pedanterien über θεολόγος etc. ab, so hat Nestorius die klarste, einfachste und dem kirchlichen Verständnis am meisten angenäherte Darstellung der antiochenischen Christologie geboten, die wir überhaupt besitzen. „Haeretisch“ ist nichts an seinen Gedanken, sie können nur als *ein durchaus orthodoxer Versuch*, vom Standort der Homousie aus die Person und das Wirken Christi zu verstehen, bezeichnet werden. *Keiner unter den grossen „Ketzer“ der Dogmengeschichte trägt diesen Namen so zu Unrecht wie Nestorius.* pp. 219. 220. „Haeretisch“ ist an dieser Lehre in der Tat nichts. *Sie kommt in dem Resultat völlig mit Leo und Chalcedonense überein.* p. 219 (in nota). Zwar ist Nestorius nicht restituiert worden, aber das, *was er wollte, ist* — wenigstens dem Ansatz nach — *durch das Chalcedonense für immer anerkannt* und das, was er bekämpfte, für immer verworfen worden. p. 265.

<sup>3)</sup> E. Caspar, Geschichte des Papsttums, Tübingen I. 1930: Als ein Erzketzer, der Vater einer grossen schismatischen Kirche des Orients, ist Nestorius, eigentlich ohne es verdient zu haben, in die Geschichte der Kirche eingegangen. p. 389. Im Grunde stand freilich die traditionelle, primitivere, abendländische Lehrformel: Christus wahrer Gott und wahrer Mensch, der antiochenischen Unterscheidung der göttlichen und menschlichen Natur in der Inkarnation näher, als die mystisch gefärbte alexandrinische Lehre. p. 393 (nota 3). Wo Caelestin I. sich dahin vorwagte, in dem Parallelschreiben an den Konstantinopler Klerus, da kam *sein Miss- und Nichtverstehen* offen zutage; was er hier über die „gottlose Predigt der Irrlehre“ ausführte, *war eine Karikatur der nestorianischen Lehren.* p. 397.

<sup>4)</sup> F. Heiler, La Madre di Dio, Ricerche Religiose, Roma (1931) VII. p. 405. Chi consideri spregiudicatamente gli eventi di Efeso, non potrà da una parte assolvere Cirillo da ogni colpa, e d'altra parte dovrà *proteggere Nestorio contra l'accusa di eresia.* Difatti tutte ricerche della odierna storia

E. Buonaiuti credit hoc per Tomum Leonis iam factum esse<sup>5)</sup>.

Quae intrepida fiducia, ne dicam audacia, qua cum Nestorius a Criticis Liberalibus ab haeresi absolvitur, necnon „orthodoxus“ declaratur, est-ne omni prorsus specie aut umbra veritatis destituta? Sin autem, concordat-ne explicatio mysterii incarnationis, quam Nestorius propugnavit, cum christologia S. Augustini, S. Leonis M. et cum definitione concilii Chalcedonensis, ut autumant quidam? Ad quaesitum responsuri, considerabimus 1, *quid in doctrina christologica nestoriana orthodoxum vel saltem formulis, quae catholice sonabant, expressum et propugnatum fuerit? (Pro Nestorio)*. Quibus praestitutis, quaeremus 2, *utrum in explicatione mysterii incarnationis Nestorius a tramite veritatis revelatae non deflexerit? (Contra Nestorium)*.

## I. PRO NESTORIO.

Argumenta, quae a Criticis, plusquam Liberalibus, in favorem Nestorii proferuntur, huc summatim redeunt. Non est haereticus, qui perfectam divinitatem Dei Verbi agnovit, quique Christum non hominem dumtaxat, sed *hominem a Deo assumptum*, Deo arcissime consociatum esse credidit. Non heterodoxe sensit, qui unum Christum in duo supposita non scidit, sed *in uno prosopo unionis* divinitatem et humanitatem integram inseparabiliter, inconfuse, divino, altissimo, inenarrabili modo conjunctam esse praedicavit; B. Virginem Mariam, *Deigenitricem* sub quibusdam clausulis et quodam sano sensu appellandam concessit. Jamvero Nestorius, toto vitae suae decursu, pro his veritatibus, ut pro aris et focis

dei dommi contribuiscono a riabilitare il patriarcha antiocheno (*sic*). Il Bethune-Baker dichiara: „Nestorio non era un nestoriano“, e il Seeberg dice con maggior insistenza: „Nessuno fra i grandi „eretici“ della storia dei dommi porta così ingiustamente questo nome comé Nestorio“. In vero vi è in quest' affermazione una certa unilateralità: si cerca dopo una condanna durata per secoli, di lavare Nestorio da ogni accusa... Però risulta, non solo dalle asserzioni di Nestorio, ma anche dallo sviluppo ecclesiastico secolare del cristianesimo nestoriano, che *la cristologia di Nestorio non era una eresia* analoga all'ebionitica, la gnostica o l'ariana.

<sup>5)</sup> E. Buonaiuti, *La „Tragedia“ di Nestorio*, Ricerche Religiose, Roma (1931) VII. p. 199. Dal fondo del suo esilio tormentato, Nestorio, dopo la ventennale proscrizione, poteva salutare, nel Tomo di Leone, *la sua ambita riabilitazione*.

dimicavit. Ergo non est haereticus, quamvis a tot saeculis gregi haereticorum accenseatur; eo vel magis, quod non aliud quam Nestorius noverunt, non aliud praedicaverunt primores Patrum Latinorum: Augustinus et Leo M., non aliud definivit proscripsitque conc. Chalcedonense.

Etiamsi multa quoad maiorem praemissam observanda essent, hac interim data et non concessa, quibus argumentis minor probetur, videamus.

1. Officii sui pastoralis memor Nestorius contra Arianos et Macedonianos frequenter *consubstantialitatem* et *aeternitatem* Dei Verbi confessus est<sup>1)</sup>. Exemplo sint: Erat quidem Deus Verbum et ante incarnationem filius et Deus et coëxistens Patri; assumpsit autem novissimis temporibus formam servi. LN. 275, 1—3. (Logos) est deitati Patris homousios. LN. 171, 14. Joannes quidem, Verbi et Patris ad invicem coaeternitatem describendo, utebatur his dictis: *in principio erat Verbum*. LN. 253, 14—16.

2. Contra Apollinarem Laodicensem strenue defendit *existentiam* integrae naturae humanae Christi, anima rationali vivificatae<sup>2)</sup>. Similis, inquit, fratribus per omnia, qui animae humanae carnisque assumpsit fraternitatem. Apostolus (est Jesus), qui consors nostrae naturae est. LN. 234, 18. 19; 235, 1. 2. *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*, me scilicet, quem secundum id, quod videtur, quod paret, videtis esse compositum et secundum corporis substantiam esse contrectabilem cernitis. Non enim, Apollinaris, ossa et caro est deitas Verbi paterni. LN. 268, 7—11. Deponamus aciem contentionis...; unum tamen prospicientes, ne creatum Verbum Deum quispiam dicat, ne humanitatem, quae suscepta est, imperfectam. LN. 313, 7—9. Utrumque enim vocatur homo et corpus et anima. Ita igitur de Christo decernit magna illa definitio (symboli nicaeni) LN. 358, 16—18.

3. Iterum iterumque, non sine speciali emphasi inculcavit: Christum *et Deum et hominem esse*. Adeoque saepissime hoc repetit, quod nomen „*Christus*“ Deum simul cum homine, divini-

<sup>1)</sup> Cf. F. Loofs, *Nestoriana. Die Fragmente des Nestorius*, Halle a. S. 1905. Ad hanc editionem Lectorem remittimus. Indicantur paginae et versus. Abbreviabitur: LN. 166, 25; 174, 25. 27; 175, 1; 217, 18; 270, 6. 7; 283, 9; 284, 17; 285, 7. 8. 19—22; 296, 3. 13; 320, 12; 328, 3. 4; 341, 10; 351, 20—23; 352, 14.

<sup>2)</sup> LN. 166, 17. 18; 171, 15; 192, 16; 205, 18; 247, 19; 252, 10; 267, 15—19; 285, 8—13; 340, 6; 352, 1. 10—14; 361, 10.

tatem una cum humanitate designat<sup>3)</sup>. Similiter nomina: „*Filius*“<sup>4)</sup>, „*Dominus*“<sup>5)</sup>, „*Unigenitus*“ (271, 21—23), „*Jesus*“ non Verbum Dei solum, non humanitatem dumtaxat, sed utrumque (Deum simul cum homine), utramque naturam Christi notificant. *Epistula 2<sup>a</sup> Nestorii* ad S. Cyrillum Alex. sic habet: Observa, quomodo „*Dominum*“, et „*Jesum*“, et „*Christum*“, et „*Unigenitum*“ et „*Filium*“, nomina utique, quae humanae divinaeque naturae ex aequo conveniunt, perinde ac fundamenta substernentes, incarnationis, mortis et resurrectionis traditionem illico subjungant superstruantque (Patres Nicaeni), communibus scl. quibusdam nominibus, utramque naturam significantibus, propositis. LN. 175, 7—13. Vidisti, quemadmodum „*Christus*“ et „*filius*“ et „*dominus*“, quando de unigenito meminit, scriptura modo humanitatis, modo divinitatis, modo autem utriusque vult existere significativa vocabula. LN. 271, 20—23. „*Christus*“ et „*Jesus*“ et „*filius*“ et „*unigenitus*“ et „*dominus*“, ambo haec appellatio ista significat. Tamquam duarum naturarum, i. e., divinitatis et humanitatis significativum deigenitricis et hominis genitricis protulimus nomen (Christi-genitrix). LN. 192, 9—13<sup>6)</sup>.

4. Cum igitur, juxta placita Nestorii, Christus *nec sit solum* Verbum Dei, sine carne, *nec solus* homo sine Filio Patris, cumque insuper Nestorius quandoque concesserit, posse Christum, prout est homo, „*deum*“ vocari<sup>7)</sup>); graviter molesteque ferebat, dum errores Pauli Samosatani et Photini in crimen ipsi vertebantur. Contra talem accusationem vehementissime reclamabat. „Non nudus homo, inquit, in *Sermone contra Proclum*, non nudus homo Christus, o calumniator! sed simul homo et deus“. LN. 259, 16. 17. In stupore remaneat dentium Paulus Samosatenus, qui nobis dominicam humanitatem nudam a deitate delirat. LN. 299, 2—4. In „*Tragoedia*“ conqueritur, suo nomini non levem infamiam penes Caelestinum aspersam fuisse, „tamquam ego Christum purum ho-

<sup>3)</sup> Sufficit vel haec testimonia vidisse: LN. 171, 12. 13; 175, 15—20; 196, 21—23; 218, 17—19; 254, 9—11; 270, 4—9; 275, 9—13; 295, 7—9; 317, 1—12; 318, 9—12; 320, 20—21; 358, 9—18.

<sup>4)</sup> LN. 197, 3—10; 269, 27. 28; 274, 7—17; 297, 4—7; 307, 20. 21; 308, 11. 18. 19; 320, 25—29; 335, 25; 336, 16—24.

<sup>5)</sup> LN. 270, 10. 11; 271, 5—14; 356, 12—14; 357, 11—21.

<sup>6)</sup> Cf. LN. 211, 3—9; 269, 16—20; 273, 13—17; 274, 1—4; 278, 5—7.

<sup>7)</sup> LN. 205, 23—26; 248, 7—13; 254, 10—13; 262, 10—13; 320, 16—29; 321, 1—10.

minem definirem, qui certe legem inter ipsa meae ordinationis initia contra eos, qui Christum purum hominem dicunt et contra reliquas haereses innovavi“. LN. 205, 2—5. Quid arguis eum tamquam Pauli doctrinam asserentem, qui, quae sunt Pauli, subvertit? LN. 304, 10—12. Ego quibusdam mihi et illud renuntiantibus, cum laetitia saepius risi, quoniam, inquit, episcopus, quae Photini sunt, sapit, nescientes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant. Hoc enim, quod a me dicitur, Photini dogmatis eversio invenitur. LN. 341, 4—8<sup>8)</sup>.

5. Vindicis atque custodis depositi revelati gloriam captando, aliam quoque criminationem refellere et a se propulsare cogebatur. Ex iis enim, quibus aures omnium impleverat, ad satietatem usque repetendo, quod Christus ex homine et Deo constat, quod Verbum Dei Patris non est Christus, sed dominus et deus Christi<sup>9)</sup>, sponte sua fluebat: Christum non esse quid unum, Christum reapse scindi in duo. Ut acumen huius jaculi obtunderet, Nestorius contra statuit: *Christum nihilominus esse unum*<sup>10)</sup>. Confiteamur, inquit, duplicem et adoremus ut unum. Duplum enim naturarum unum est secundum unitatem. LN. 276, 14. 15. Sed unus ideo, quia ab illo, qui est natura, adscitus est in societatem seu conjunctionem, alter ab altero. LN. 360, 5. 6.

6. Quo nixus, fidenter monet: se duos Christos<sup>11)</sup>, duos dominos<sup>12)</sup>, duos filios<sup>13)</sup>, non introducere, Christumque in duo minime scindere. Non habemus duos Christos neque duos filios. Non est nobis primus (Christus) et secundus, neque alius et alius, neque rursus alius filius et iterum alius; sed ipse unus duplex est, non secundum dignitatem, sed natura. LN. 281, 5—9. Unus enim filius, quod visibile est et invisibile, unus Christus et iste, qui utitur et id, quo utitur; natura duplex, sed filius singularis. Quid sermonem in calumniam vocas? Quid me latenter sagittis aureis jacularis? Quid in me sagittas aureas absconditus mittis? LN. 299, 19—24. Non dixi alterum filium aut alterum Deum Verbum; sed dixi Deum Verbum naturaliter et templum naturaliter

<sup>8)</sup> Cf. LN. 192, 14. 15; 284, 5—8; 285, 12—18; 304—312.

<sup>9)</sup> LN. 218, 18. 19; 291, 8; 292, 3—6.

<sup>10)</sup> LN. 263, 15. 16; 283, 15—19.

<sup>11)</sup> LN. 280, 11—16.

<sup>12)</sup> LN. 280, 12.

<sup>13)</sup> LN. 275, 5; 283, 13—22; 336, 20; 352, 24.

aliud, filium conjunctione unum. Sic et alibi dixi sub principio. Prodito in medium et voces has argue! LN. 308, 8—12.

7. Animus roburque Nestorii exinde crescebat, quod non cujuscumque conjunctionis Verbi et hominis praeconem se esse arbitrabatur, sed convenientiae illorum *sub et in uno prosopo unionis*<sup>14)</sup>. Ad *Alexandrum Hierapolitanum* scribens, ait: Oportet manere naturas in suis proprietatibus et sic per mirabilem et omnem rationem excedentem unitatem unam intelligi gloriam et unum confiteri filium. Non duas personas unam personam facimus, sed una appellatione Christi duas naturas simul significamus. LN. 196, 18—23. Non alius erat Deus Logos et alius ille homo, in quo Logos natus. Etenim utriusque unum erat prosopon secundum dignitatem et honorem. LN. 224, 12—14.

8. Dotes atque proprietates unionis utriusque naturae in uno prosopo Christi, Filii, Domini, Unigeniti amplissimis ornatat verbis. Affirmabat illam esse: *arctam*<sup>15)</sup>, *summam*<sup>16)</sup>, *divinam*, necnon *ineffabilem*<sup>17)</sup>, non ad tempus, sed *perpetuam*<sup>18)</sup>, adeoque *inseparabilem*<sup>19)</sup>. Propter illud Dei Verbi cum homine insolubile consortium, humanitas Christi est splendidissimum divinitatis *templum*<sup>20)</sup>. Conjunctio tamen Dei Verbi cum homine Jesu *altior et perfectior* est, quam quae angelis, vel sanctis hominibus per gratiam contingit<sup>21)</sup>. Natura hominis assumpti est Dei Verbi *instrumentum*, quod Deo assiduam fert operam in redimendo genere humano<sup>22)</sup>. Homo assumptus, cooperando Deo, totamque possidendo operationem divinam (290, 1. 2.), cum omnia possit, quae Deus (299, 6), factus est omnium dominus, *Παντοκράτωρ*<sup>23)</sup>, estque futurus *judex universi*<sup>24)</sup>. Quid amplius? Deus Verbum vincula suae ad naturam humanam adhaesionis tam arcte constrinxit, ut

<sup>14)</sup> LN. 171, 7. 8; 176, 6. 7. 17; 196, 15—17; 200, 5—11, 7. 8.

<sup>15)</sup> LN. 178, 21; 275, 12.

<sup>16)</sup> LN. 171, 7.

<sup>17)</sup> LN. 178, 21; 192, 4; 197, 24; 198, 2; 316, 16. 17.

<sup>18)</sup> LN. 298, 24. 25.

<sup>19)</sup> LN. 177, 1; 192, 16; 205, 18; 262, 4; 276, 12; 280, 1—5. 18; 281, 4—5; 289, 22; 290, 1; 298, 17—25; 299, 1. 2.

<sup>20)</sup> LN. 168, 3; 178, 20—22; 205, 24. 25; 252, 13; 289, 22; 290, 1—3.

<sup>21)</sup> LN. 206, 10—18; 207, 15—17; 289, 16—20; 290.

<sup>22)</sup> LN. 205, 18. 19; 247, 6; 252, 10. 11; 260. 261.

<sup>23)</sup> LN. 243, 23—25; 244, 1—4; 248, 9; 289, 21; 334, 27.

<sup>24)</sup> LN. 244, 1; 263, 1—4; 272, 3; 299, 1; 330, 11; 335, 7. 8.



homo divino, Deus vicissim humano *prosopo uteretur*<sup>25</sup>). Nulli sanctorum Deus ita colligatus erat, ut homo cum Deo unam haberet auctoritatem, gloriam, potentiam, dominationem et dignitatem<sup>26</sup>).

9. Arctiorem conjunctionem divinae et humanae naturae in Christo Nestorius funditus repudiavit. Nam, ut recte argumentabatur: *absonum et impossibile est, ut Deus et homo in unam essentiam, vel communem naturam coalescant*. Si ex humanitate et divinitate nova aliqua essentia vel substantia exurgere supponeretur; *aut* humanitas evanesceret, quia in divinam essentiam transire nequit, *aut* divinitas mutari corrumpique deberet. De cetero, integrae, necnon perfectae naturae unam aliquam essentiam efformare non valent, nisi invicem ordinentur ad sese mutuo complendas<sup>27</sup>). *In Sermone contra Proclum* sic adhortatur fideles: Volo igitur vos perspicaces esse in examinandis dogmatibus et neque susceptam humanitatem cum Deo Verbo confundere, neque hominem nudum eum, qui natus est, dicere, sed nec Deum Verbum contemperatum, vel commixtum propriam essentiam amisisse. LN. 339, 3—7. *In Libro Heraclidis*, 1, 3 legimus, quae sequuntur: L'union est en effet dans le *prosôpon* et non dans la nature ni dans l'essence, mais il y a union des essences, l'essence de Dieu le Verbe et l'essence de la chair qui sont unies *non en une seule essence*. Ratio clare indicatur *Libro* II. 1; Les deux natures qui sont unies, ne sont pas devenues une nature. Car cette union qui cause conversion et changement, en ce qu'elle est faite pour une nature et pour compléter une autre, n'est pas de deux natures complètes, mais de deux natures incomplètes<sup>28</sup>).

10. Unionem naturae humanae cum natura divina *in ratione hypostasis* seu secundum hypostasim divinam Verbi *inficiatus est*, prout videbimus infra. *Ὀδοσίαν* enim, *φύσιν* et *ὑπόστασιν* idem omnino et significare et esse arbitrabatur. Timere ergo atque expavescere se fatetur, ne sub specie unionis hypostaticae utriusque naturae commixtio, aut confusio subdole introducatur.

Ad *Caelestinum* Rom. Pontf. scribit: Unde et nos, non modicam corruptionem orthodoxiae apud quosdam hic reperientes et

<sup>25</sup>) Cf. *Nau, Le Livre d'Héraclide*, Paris 1910. p. 49, 61, 183, 194, 206, 212—213.

<sup>26</sup>) LN. 196, 15. 16; 224, 13. 14; 247, 7. 8; 281, 1. 8; 336, 1; 354, 9—17.

<sup>27</sup>) LN. 224, 5. 6; 229, 1—19; 329, 11—28.

<sup>28</sup>) *Nau, L. d. H.*, p. 129 et 268. Cf. *Ibid.* p. 78—81; 83, 86, 213, 261, 262.

ira et lenitate circa aegros cotidie utimur. Est enim aegritudo non parva, sed affinis putredini Apollinaris et Arii. Dominicam enim in homine unionem ad cujusdam contemperationis confusionem passim commiscent, adeo ut et quidam apud nos clerici, tamquam haeretici aegrotent et aperte blasphemant Deum Verbum Patri homousion, tamquam originis initium de Christotoco Virgine sumpsisset et cum templo suo aedificatus esset et carni consepultus. Carnemque dicunt post resurrectionem non mansisse carnem, sed in naturam transisse deitatis et deitatem unigeniti et ad originem conjunctae carnis referunt et commortificant carni, carnem vero conjunctam deitati ad deitatem transisse blasphemant ipso verbo deificationis. Quod nihil aliud est nisi utrumque corrumpere. LN. 166, 16—30; 167, 1—3.

In 2<sup>a</sup> *Epist. ad Caelestinum* ait: Nescio quemadmodum quidam de ecclesiasticis quandam contemperationis imaginem ex deitate et humanitate unigeniti accipientes, aegrotant aegritudine praedictorum haeticorum, dum et corporis passiones audent superfundere deitati unigeniti et immutabilitatem deitatis ad naturam corporis transisse confingunt et utramque naturam contemperacionis mutabilitate confundunt, caeci! LN. 170, 30; 171, 1—9. In *Epist. ad Scholasticum*, eunuchum Theodosii solemniter protestatur: Testis enim est Deus, quia, si haec apud ecclesias obtinuerint, quae nunc ab immundissimis istis nescio quomodo (proferuntur), nihil aliud restat, nisi ut illa colant ecclesiae, quae Arius et Eunomius et Apollinarius tradiderunt. LN. 194, 6—10.

11. Et haec sunt, quae F. Loofs<sup>29)</sup>, A. Harnack<sup>30)</sup>, Bethune-Baker<sup>31)</sup>, Seeberg<sup>32)</sup>, alique<sup>33)</sup> satis superque sufficere arbitrantur ad Nestorium a labe haereseos purgandum; quem insuper et „orthodoxum“ declarant ideo, quia *terminologia christologica Nestorii* et Patrum Occidentalium simillima erat. Ut olim Antiocheni (Diodorus Tarsensis et Theodorus Mopsueste-

<sup>29)</sup> F. Loofs, Nestorius, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, Leipzig 1903<sup>3</sup> t. 13 p. 739 seq.

<sup>30)</sup> A. Harnack, L. d. D. II, op. cit. p. 335—364.

<sup>31)</sup> Bethune-Baker, Nestorius and his Teaching, a fresh examination of the evidence, Cambridge 1908, c. 6 pp. 82—100; c. 12 pp. 189—196.

<sup>32)</sup> Seeberg, L. d. D. II. op. cit. § 27. n. 2 pp. 214—220.

<sup>33)</sup> Quos videsis apud: Ch. Pesch, Zur neueren Literatur über Nestorius, Freiburg 1914, 115 Ergänzungsheft zu den „Stimmen aus Maria Laach“ p. 1—30; E. Amann, Nestorius, Dict. d. Théol. Cath. t. 11 pp. 156. 157.

nus) eodem quoque modo duces christologiae latinae: *S. Augustinus* et *S. Leo M.* Christum Dominum definiebant. Christus, ajunt, tam secundum Antiochenos, quam secundum Occidentales est Deus inseparabiliter, ineffabiliter junctus homini. Quoties *S. Augustinus*, necnon *S. Leo M.* locuti sunt de „*homine*“ assumpto, suscepto, a Sapientia Dei portato; de „*filio hominis*“, qui Filio Dei adhaesit, quem Verbum Dei sibi in socium indivulse adscivit, in *templum*, in quo habitaret, delegit, ut *instrumentum* sibi aptavit?! Neque *Augustinus*, nec *Leo M.* timuerunt susceptum a suscipiente, assumptum ab assumpto, portantem a portato distinguere. Patribus illis nihil antiquius, nihil sacratius erat, quam omnem mutationem, commixtionem, confusionem naturarum in Christo rejicere, proculque e mentibus fidelium pellere! Jamvero *id ipsum* Nestorius docuit<sup>34</sup>). Ergo *vel* Patres Latini etiam sunt haeretici, *vel* doctrina Nestorii est orthodoxa<sup>35</sup>).

## II. CONTRA NESTORIUM.

Dilemma illud explodetur, inane atque cassum demonstrabitur, si constiterit, Nestorium *non idipsum docuisse*, quod Patres Latini, ut revelatum fidei dogma credendum, proponebant. Porro Augustinum et Leonem M. terminis concretis: „homo“, „filius hominis“ humanam naturam designare voluisse, inficiabitur nemo. <sup>1)</sup> Summi autem momenti res est, utrum *S. Augustinus* et *Leo M.*, pariter ac *Theodorus Mops.* et *Diodorus Tars.*, homini illi assumpto humanam personalitatem tribuerint, nec ne. Neo-Protestantes, evidentiis testimoniorum coacti, fatentur: in systemate praedictorum Antiochenorum homini, qui a Verbo in socie-

<sup>34)</sup> Cf. *A. Harnack*, L. d. D. II. Op. cit. p. 358. 359 nota 3<sup>a</sup>.

<sup>35)</sup> Ultimis duobus decenniis doctrinam christologicam Nestorii diligentius exposuerunt: *M. Jugie*, *Nestorius et la controverse nestorienne*, Paris 1912, p. 90—135; *Fr. S. Mueller*, *Fuite Nestorius revera Nestorianus*, Gregorianum t. 2 (1921) p. 266—284; 352—386; *Pesch*, *Nestorius als Irrlehrer*, Paderborn 1921; *A. D'Alès*, *Le dogme d' Ephèse*, Paris 1931, p. 224—275.

<sup>1)</sup> Sollicite accurateque testimonia huiusmodi collegit *P. Galtier*, *De Incarnatione ac Redemptione*, Parisiis 1926 p. 79. 80; *F. Deodat de Basly OFM.*, *L' Assumptus Homo*, Extrait de la France Franciscaine; T. 11 n. 3—4 (1928) p. 255—314.

tatem adsciscitur, humanam subsistentiam vindicari<sup>2)</sup>. Itane S. Augustinus et Leo M. homini assumpto personalitatem humanam adjudicaverunt? Id serio affirmare praesumeret ille dumtaxat, qui ex sola similitudine verborum identitatem doctrinae insulse et illogice deduceret. Uterque enim S. Doctor evidenter unicum tantum, divinam *personalitatem* in Christo noverat. Ne in re plana atque manifesta tempus teramus, quaedam testimonia ex S. Augustino et S. Leone depromemus, ad assertum comprobandum.

Cum S. Augustinus de „homine“ assumpto frequenter disseruit, hunc *personalitate humana destitutum esse* credidit, nam per „accessum“ „hominis“ ad personam Verbi Dei numerus personarum S. Trinitatis non augetur.

*Ep. 140 ad Honoratum* c. 4 n. 12; Nihil aliud dictum est, *Verbum caro factum est*, quam si diceretur, filius hominis factus est. Vides quemadmodum *eundem* hominem, quem Deum commendat, ut *persona una* sit; ne, non Trinitas, sed quaternitas inducatur. Sicut enim non augetur numerus personarum, cum accedit caro animae, ut sit unus homo, sic non augetur numerus personarum, *cum accedit homo Verbo*, ut sit unus Christus. Legitur itaque, *Verbum caro factum est*, ut intelligamus huius personae singularitatem. MPL. 33, 543.

*Sermo* 186, 1, 1; *Idem* Deus, qui homo et qui Deus, *idem* homo; non confusione naturae, sed unitate personae. Denique, *qui filius Dei* generanti est coaeternus semper ex Patre, *idem* filius hominis esse coepit ex Virgine. Ac sic et Filii divinitati est addita humanitas et tamen *non est personarum facta quaternitas*, sed permanet Trinitas. MPL. 38, 999.

*Contra Serm. Arian.* 7; Christus non tantum homo verum etiam Deus erat. Unam quippe ostendit esse personam *in utraque natura*, hoc est Dei et hominis, ne si *duas* faciat, quaternitas incipiat esse, non Trinitas. Quoniam itaque *gemina* quidem *substantia*, sed una persona est, propterea dictum est, descendi de caelo. MPL. 42, 688.

Sexcenti sunt loci, in quibus S. Augustinus unicitatem divinae personae premendo atque inculcando, saepenumero recolit: *eundem ipsum esse Deum et hominem*, Deum perfectum hominemque integrum.

<sup>2)</sup> Cf. A. Harnack, L. d. D. II. op. cit. p. 343: Die Antiochener hatten *zwei Personen* in Christus, eine göttliche und eine menschliche (*δύο ὑποστάσεις*, resp. *πρόσωπα*). Durch die Einigung kommt im Grunde doch *keine Einheit der Person* zu Stande; sie ist bloss nominell. Wenn sie trotzdem von *einer* sprachen, so war das im Grunde *eine dritte* oder vielmehr richtiger: nur in der *συνάφεια*, ja letztlich nur in der *Relation* der Gläubigen auf Jesus Christus stellt sich dieser als Einheit dar. Cf. etiam Seeberg, L. d. D. II. op. cit. § 26 n. 5 p. 186—198.

*In Joan. Ev. Tract.* 19 c. 5 n. 15; Iste Christus et filius Dei et filius hominis est. Sed ipse est filius hominis, qui et Filius Dei. Haerendo enim ad unitatem personae filius hominis Filio Dei, *facta est una persona eademque Filius Dei*, quae et filius hominis. MPL. 35, 1552. 1553. — *Enchirid.* c. 35; Christus Jesus Dei Filius est et Deus et homo. Deus, quia Verbum; homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro. Unus Dei Filius, *idemque* hominis filius; unus hominis filius, *idemque* Dei Filius; non duo filii Dei Deus et homo, sed *unus Dei Filius*; Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus. *Ibid.* c. 36 n. 11; Nempe ex quo esse homo coepit, *non aliud coepit* esse homo quam Dei Filius et hoc *unicus* et propter Verbum, quod, illo suscepto, caro factum est, *utique Deus*: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scl. rationalis et caro, ita Christus est una persona Verbum et homo. MPL. 40, 249. 250.

*Sermo* 293 n. 7; Ipse Deus, Deus manet: *accedit homo*, sed totus Deus et totus homo et fit una persona, ut sit non semi-deus, quasi parte Dei Deus et parte hominis homo, sed totus Deus et totus homo. MPL. 38, 1332.

Praesupposita unicitate divinae personae Verbi, quacum humanitas substantialiter unitur, sicut anima conjungitur corpori, Augustinus cohaerenter docet: *Deum Verbum*, aeternaliter a Deo Patre generatum, iterum nasci in carne, pati, cruci affigi, sepeliri in assumpta carne.

*Contra Serm. Arian.* 8; Nec quia dixit (S. Paulus „*per oboedientiam unius*“) „*hominis*“, separavit Deum, qui hominem assumpsit; qui, sicut dixi, una est persona. Ipse namque unus Christus et *Dei Filius semper natura et hominis Filius*, qui ex tempore assumptus est gratia; nec sic assumptus est, ut prius crearetur post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. Ac propter istam unitatem personae in utraque natura intelligendam et *Filius hominis* dicitur *descendisse* de caelis, quamvis sit ex ea, quae in terra fuerat Virgine assumptus, et *Filius Dei* dicitur *crucifixus* et *sepultus*, quamvis haec non in divinitate ipsa, qua est Unigenitus Patri coaeternus, sed in naturae humanae sit infirmitate perpressus. PML. 42, 688.

*Serm.* 185 c. 1 *in Natali Domini* pulcherrime docet: Dei Verbum, Dei Sapientiam hypostaticam e B. Virgine in lucem edi; Natalis Domini dicitur, quando *Dei Sapientia se demonstravit infantem* et Dei Verbum sine verbis vocem carnis emisit. Veritas, quae est in sinu Patris, de terra orta est, ut esset etiam in *sinu matris*. Veritas, qua mundus continetur, de terra orta est, ut femineis manibus portaretur. *Veritas*, qua beatitudo Angelorum alitur, de terra orta est, *ut carnalibus uberibus lactaretur*. Expergiscere, homo! pro te Deus factus est homo. PML. 38, 997.

*Serm.* 213 c. 2 et 3; „*Credo*“, dicis in Jesum Christum, *Filium eius unicum*, Dominum nostrum. Si Filium unicum, ergo Patri aequalem. Si Filium unicum ergo ejusdem substantiae, cujus est Pater. Si Filium unicum, ergo Patri coaeternum. Hoc in se et apud se et apud Patrem. Propter nos

quid? Ad nos quid? Qui conceptus est de Spiritu Sancto; *natus ex Maria Virgine*. Ecce qua venit, quis, ad quos. Per Virginem Mariam. Sic ergo carne indutus est Dominus Christus, sic *factus est homo, qui fecit hominem*, assumendo, quod non erat, non perdendo, quod erat. *Verbum enim caro factum est et habitavit in nobis*. Non Verbum in carnem versum est, sed *Verbum manens, carne accepta*, invisibilis semper, factus est visibilis, quando voluit. Factus est unus ex hominum numero, unus et unicus.

Jam quid pro nobis? Passus est, sequitur, sub Pontio Pilato, mortuus et sepultus. *Qui Filius Dei unicus*, Dominus noster, crucifixus, *Filius Dei unicus*, Dominus noster sepultus est. Deus non est mutatus, Deus non est occisus, et tamen secundum hominem occisus. PML. 38, 1061. 1062.

S. Leo M. eodem, quo Augustinus, modo, totidemque conceptis verbis de mysterio incarnationis Dominicae nos erudit atque instituit. Unigenitum, aeternaliter a Patre generatum Filium Dei *secunda vice* a Beata Virgine *generari*, in carne assumpta *crucifigi* et *sepeliri* edicit et illius articuli fidei hanc in medium profert rationem; quia, videlicet, *unus idemque, una eademque persona est Deus et homo*; quia in unica Dei Filii personalitate integra humanitas et divinitas convenere in unum. Disertissima testimonia e celebri „Tomo“, seu 28 ep. ad Flavianum, depromimus, nam per hoc documentum Nestorio dicitur nomen famaeque „orthodoxi“ restituta, et, quod „Tomus“ credendum injungit, Nestorius credidisse asseritur.

*Cap. 2 ep. ad Flav.* haec legimus: Idem sempiterni Genitoris (Filius) unigenitus, sempiternus *natus est de Spiritu Sancto et Maria virgine*. Quae nativitas temporalis illi navitati divinae et sempiternae nihil minuit, nihil contulit. MPL. 54, 759,

(*Cap. 3*). Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae, et *in unam coeunte personam*, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas, natura inviolabilis naturae est unita passibili, ut *unus atque idem* mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. *In integra* ergo veri *hominis* perfecta *natura* verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris. M. 54, 763.

(*Cap. 4*). Ingressitur ergo haec mundi infima Filius Dei, de caelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Ante tempora manens esse coepit ex tempore; universitatis Dominus servilem formam suscepit; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. *Unus enim idemque est*, quod saepe dicendum est, vere Dei Filius et vere hominis filius, Deus per id, quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum* (Joan. 1; 1), homo per id, quod *Verbum caro factum est*. (Joan. 1, 14). M. 54, 765. 767.

(*Cap. 5*). Propter hanc ergo *unitatem personae* in utraque natura intel-

ligendam, et filius hominis legitur *descendisse* de caelo, cum filius Dei carnem de ea Virgine, de qua natus est, assumpserit. Et rursus *filius Dei* crucifixus dicitur ac sepultus, cum haec non in Divinitate ipsa, qua *Unigenitus* consempternus et consubstantialis est Patri, sed in naturae humanae sit infirmitate perpeusus. Unde *unigenitum* Filium Dei crucifixum et sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur. (Beatus Petrus) per revelationem Patris eundem et Filium Dei est confessus et Christum. M. 54, 771. 773<sup>3)</sup>.

*Fides ergo catholica*, cujus fidelis imago atque repercussa vox fuit doctrina S. Augustini et S. Leonis M. non nisi unicum, *divinam personam Verbi* in Christo admittit, in qua duplex, integra, inconfusa natura substantialiter conjuncta esse creditur. Conc. Chalcedonense, veluti splendens pharus, quae in tenebris serenam profundit lucem, *idipsum*, quod apostolica tenuit traditio, solemni ter sanxit definivitque.

Sequentes igitur sanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium et dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus, *eundemque perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate*, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, *per omnia nobis similem absque peccato* (Hebr. 4, 15); ante saecula quidem *de Patre genitum* secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem *ex Maria virgine Deigenitrice* secundum humanitatem: unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque *Filium et unigenitum Deum Verbum*, Dominum Jesum Christum. **Denz. - Umb., Enchir. Symb.**, n. 148.

Ad propositum redeundo, quaerimus, *idemne* Nestorius docuit et credit? Proh dolor! Quod Patres illi et concilium Chalcedonense affirmant, Nestorius palam et praecise negat; quod illi credendum injungunt, utpote revelatum et traditum, Nestorius admittere recusat, putatque arianum vel apollinaristicum esse.

#### A) NESTORIUS DUAS PERSONAS IN CHRISTO SUBSISTENTES INDUBIE AGNOVIT.

1. Quantumvis, sexcentis vicibus, asseveranter testificatus sit: se unum subjectum attributionis, „Christum“ videlicet, „Dominum“,

<sup>3)</sup> Cf. S. Leonis M., Sermo 22, 2 M. 54, 195; Sermo 30, 6. M. 54, 233; Sermo 68, 1. M. 54, 372.

„Filiū“, „Jesum“, statuere, nihilominus in hoc uno subjecto duas perfectas personas, in ratione subsistentiae divinae et humanae distinctas, coexistere fecit, illasque admodum tenui velamine „personae unionis“ vix aegre contegit. Habet haec doctrina altas radices in illo principio, quod olim *Theodorus Mopsuestenus* sua auctoritate sanxerat, nempe: non posse in rerum ordine reali substantiam integram, perfectamque degere, quae connaturali personalitate destitueretur<sup>1)</sup>. *Aut* igitur quaevis natura realis per propriam personalitatem subsistit, *aut* non est integra in ratione naturae. Cum autem fides catholica pro comperto habeat, divinam et humanam naturam Christi integerrimam esse, Nestorius utrique naturae suum connaturale prosopon adjudicavit, ideoque duas personas in uno Christo adesse, persuasum habuit.

In 2 *Libro Heraclidis*, c. 1 ita scribit sine ullis ambagibus: Non est concipienda essentia sine hypostasi, quasi essentiae unitae essent in una essentia et adesset unius essentiae *πρόσωπον*. At naturae *subsistunt in suis προσώποις* et in *πρόσωπῳ* unionis. Quod ad naturale *πρόσωπον* unius attinet, altera *utitur* eodem vi unionis et *sic* unum est *πρόσωπον* duarum naturarum. Unius essentiae *πρόσωπον* utitur ipso alterius *πρόσωπῳ*. (*Nau*, L. d. H., p. 193). L. 1 c. 1 n. 76 haec legimus; Itaque *Deus* incarnatus est in homine *in suo proprio πρόσωπῳ* et fecit ejus *πρόσωπον* suum ipsius *πρόσωπον*. Nequit ita obsecundari, ut *πρόσωπον hominis* sit suum, utque ipse det homini suum *πρόσωπον*. Ideo suo *πρόσωπῳ* usus est, quia id sibi cepit. (*Nau*, L. d. H. p. 66<sup>2)</sup>). A conclusione eruenda Nestorius non exhorruit, nam clarissime eam ipse disertis verbis deduxit; Dico duas naturas, et *alius* est ille, qui induit, *alius*, qui induitur, et *duo sunt prosopa*: illius, qui induit et illius, qui induitur. (*Nau*, L. d. H. p. 193).

2. In hoc praesupposito, veluti in lapide quadro et angulari, totum aedificium doctrinae Nestorianae in altum erigitur, ab illo robor et consistentiam mutuatur. Quare, cum Nestorius censuerit: Verbum neque personalitatem divinam, neque ipsam deitatem amittere, etiamsi cum humana natura uniatur; praeterea, cum hu-

<sup>1)</sup> Cf. *Theod. Mops., Incarn.* VIII. "Ὅταν μὲν γὰρ τὰς φύσεις διακρίνωμεν, τελείαν τὴν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου φημὲν, καὶ τέλειον τὸ πρόσωπον· οὐδὲ γὰρ ἀπρόσωπόν ἐστιν ὑπόστασιν εἶπεῖν· τελείαν δὲ καὶ τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν, καὶ τὸ πρόσωπον ὁμοίως. MPG. 66, 981 B. Cf. 981 C.

<sup>2)</sup> Cf. *LN.* 196, 21—23; 239, 18.



manitas Christi vi principii Mopsuestiani suo connaturali prosopo non careat, Nestorius exinde intrepide infert: *Deum Verbum non esse Christum*, sed *deum* Christi et *dominatorem* hominis assumpti Θεός τοῦ χριστοῦ ὁ ἐκ τοῦ θεοῦ Λόγος „Deus est Christi Verbum, quod e Deo procedit“. LN. 291, 8. Hoc autem dico, ut noveritis, quam superexcellens et summa quaedam deitatis conjunctio existebat etiam in infante ipso, cum dominica caro conspiceretur; erat enim ipse et infans et *infantis* ipsius *Dominus*. Laudastis vocem, sed nolite eam parum curiose laudare: dixi enim, quod idem erat infans et *inhabitor* infantis. LN. 292, 1—6. *Ὁὐ καθ' ἑαυτὸ θεὸς τὸ πλασθὲν ἐπὶ μήτρας, οὐ καθ' ἑαυτὸ θεὸς τὸ κτισθὲν ἐκ τοῦ πνεύματος*. LN. 262, 7<sup>3)</sup>). Idipsum ita demonstrare praesumebat: Si Christus esset Deus, tunc non posset non esse tota Trinitas, nam Trinitas est Deus. Atqui Christus non est tota Trinitas. Ergo Christus non est Deus. Insuper, si Christus esset Deus, nullum miraculum cerneretur in hoc prodigio, quod super undas, quin mergeretur, ambularet, vel in coenaculum januis clausis intraret<sup>4)</sup>.

3. Cum igitur Nestorius personam Dei Verbi a prosopo Christi distingueret ut partem a toto, ut continens a contento, totum ingenii sui acumen in id contendit, ut probaret: *Verbum Dei* in carne humana *natum non esse*, differreque et natura et hypostasi ab illo homine, quem ut templum inhabitavit, quo administro ad redimendum genus humanum utebatur. Taedio opprimeremur, si omnia huius tenoris effata congerere vellemus. Nihil enim Nestorio solemnius, nil frequentius, quam negatio secundae nativitate Dei Verbi in carne. Satius igitur fuerit, speciem argumentorum, quibus hoc capitale intentum demonstrare studuit, collegisse

<sup>3)</sup> Cf. LN. 234, 15. 16.

<sup>4)</sup> LN. 218, 13—19: Sie sagen, dass der Christus Gott allein ist. Und siehe, Gott ist die Dreieinigkeit. Also *ist Christus Dreieinigkeit*. Wenn aber Christus Gott allein ist, der Vater aber nicht der Christus ist, so trennen sie sie in der Natur. Und der Christus ist Gott, *Gott aber nicht der Christus*. LN. 218, 20. 21; 219, 1—9: Dem, welcher fragt: „Wer ist es, der auf dem Meere wandelte?“ antworten wir: Die Füße waren es, welche wandelten und der konkrete Leib durch die Kraft, welche in ihm wohnte. Das ist ein Wunder! Denn, wenn Gott auf dem Wasser wandelt, *das ist nicht verwunderlich*, wie auch nicht in betreff der Luft. Und ferner, dass er durch verschlossene Türen ging — der konkrete Leib ist es. Und das ist etwas Wunderbares. Wenn aber die göttliche Natur hindurchging, so war das durchaus nicht etwas, bei dem ich abtrete von dem, was dem Unendlichen zukommt.

a) Verbum Dei non est natum in carne, quia *symbolum fidei nicaenae* non illius generationem, sed „Christi“, sed „Domini“, sed „Filii“, „Jesu“, „Unigeniti“, credendam proponit. Jam vero Christus est Deus Verbum cum homine inseparabiliter sociatum<sup>5)</sup>. Oportet (quia nunc venit in mentem) nosse: Nicaenam synodum numquam audere dicere, Deum Verbum natum esse e Maria Virgine, ait enim: *Credimus in unum deum patrem omnipotentem et in unum dominum Jesum Christum*. Attendite, quia prius cum patres posuissent, „Christum“, quod duarum naturarum est significativum, non dixerunt: „credimus in Deum Verbum“. Hoc retinete, quoniam praetermittentes dicere: „credimus in Deum Verbum, filium eius unigenitum“, dixerunt: „credimus in unum *Dominum*“. Nusquam dixerunt: (Logos) natus est. Cur? Putamus, ut non duas natiuitates introducerent deitatis. LN. 295, 1—9; 296, 10—12; 297, 1—3.

b) *S. Scripturae*, ut de generatione Verbi altum tenent silentium, ita e contra natiuitatem *Christi, Jesu, Domini frequenter edisserunt*<sup>6)</sup>. Non Dei Verbi genealogia a S. Matthaeo delineatur, sed Christi<sup>7)</sup>. S. Joannes non Dei Verbi in carne natiuitatem enarrat, sed eiusdem „inhumanationem“, i. e. cum homine conjunctionem annuntiat<sup>8)</sup>. „*Ἄλλο γὰρ ἔστι τὸ συνεῖναι τῷ γεγεννημένῳ καὶ ἄλλο τὸ γεννᾶσθαι*. LN. 286, 4. S. Paulus formam servi non a Verbo, sed a Christo assumptam esse testatur<sup>9)</sup>. Qui Verbum Dei in natura humana natum esse affirmat, S. Paulo adversatur. Gentium Apostolus deitatem Christi sine patre, sine matre, sine genealogia esse asseverat. Paulus ergo mendax, de Christi deitate dicens: *ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀνευ γενεαλογίας; — οὐκ ἔτεκεν, ὃ βέλιστε, Μαρία τὴν θεότητα*. LN. 252, 4—6.

c) Si Verbum in carne nasceretur, coaeternus Deo Patri Logos *temporalis fieret, junior* quam Deus Pater foret.<sup>10)</sup> Verbum a Spiritu Sancto *crearetur*<sup>11)</sup>. Unius Patris unicus Filius duos haberet

<sup>5)</sup> LN. 171, 9—13; 174, 27. 28; 175, 5—15; 176, 10—12; 284, 15—18; 285, 1—23; 286, 8—11; 287, 1—5; 288, 2—4.

<sup>6)</sup> LN. 167, 10. 11; 177, 8—15; 179, 13—15; 278, 1. 2. 5—10; 285, 24—25; 286, 1—4; 287, 10—15.

<sup>7)</sup> LN. 177, 13—15; 317, 12—23; 318, 1—12.

<sup>8)</sup> LN. 287, 5—21; 288, 5—9.

<sup>9)</sup> LN. 254, 5—10.

<sup>10)</sup> LN. 252, 8; 245, 10—16.

<sup>11)</sup> LN. 177, 21—23; 246, 11—13; 247, 10—16; 252, 11—13; 262, 8; 286, 7—10; 340, 18—24; 353, 4. 5.

patres, idem *bis generaretur*. Jam vero eandem personam bis in lucem edi, quis umquam credet? Et rursus, ubi *duae natiuitates*, ibi quoque duo filii. Ecclesia autem catholica unum novit Filium<sup>12)</sup>.  
 Ὅν γὰρ δύο γεννήσεις, τούτων δύο υἱά ἢ δὲ ἐκκλησία ἓνα οἶδεν υἱόν. LN. 352, 24. 25. Μὴ ἐγγωρεῖ τὸν πρὸ πάντων τῶν αἰώνων γεννηθέντα ἄλλο ἅπαξ γεννηθῆναι, καὶ τοῦτο τῆ θεότητι. LN. 351, 23. 24.

d) Etiam quod pejus est, inevitabiliter sequitur! Si Verbum in carne gigneretur, ipsa *divinitas* non generari non posset, tunc Deus secundum deitatem ex semine esset Abrahae et e lumbis David; Jacobus divinitatis esset frater. „Num semen Abrahami deitas est? Num secundum deitatem habuit Deus Filius fratres similes? Vivificans hunc, qui passus est, non Deus proles Abrahami est ille, qui heri hodieque est, secundum Pauli verba (Hebr. 13, 8), non is, qui dicit: antequam Abraham esset, fui ego. (Joan. 8, 58). LN. 234, 8—18<sup>13)</sup>.

f) Denique, qui credit, Deum Verbum in carne iterum nasci, fabulosas paganorum theogonias insulse recoquit, fidei mysteria risui exponit. In sermone *Contra Proclum* ait: Qui Deum simpliciter dicit de Maria natum, primo omnium nobilitatem gentilibus prostituit dogmatis atque exponens in medium, vituperandum id ridendumque proponit. Statim enim paganus eum reprehensione accipiens, quia de Maria Deus natus est, infert adversus christianum. Necessario enim, qui dicit simpliciter de Maria natum Deum et non illum conjunctione duarum naturarum, divinae scl. et humanae, esse reputaverit, audiet: ego natum et mortuum et sepultum Deum adorare non queo. LN. 337, 16—23; 338, 1. Mortalem enim vivificatricem deitatem appellant et in theandricas fabulas Deum Verbum audent deducere, tamquam *idem* sit pannis involutus et mortuus. Proh nefas! LN. 266, 4—6.

4. Quibus praestitutis, Nestorius largam sibi viam stravit ad debellandam *divinam maternitatem* B. V. Mariae. Contra „theotocos“ fere easdem machinas bellicas produxit, quas contra natiuitatem in carne Verbi movit.

a) *Definitio nicaena* et *S. Scripturarum effata* semper testantur: Christum Dominum, Jesum, i. e. hominem, Deo Verbo consociatum, e Maria originem ducere. Logos nullibi filius Mariae

<sup>12)</sup> LN. 176, 15—18. 25; 285, 21—23; 286, 10; 288, 8. 9; 297, 1—3; 337, 13.

<sup>13)</sup> Cf. LN. 178, 13—20; 271, 1.

esse dicitur. *In Ep. 1. ad Caelestinum* scribit: Hanc (scl. Mariam) „theocon“ vocantes non perhorrescunt, cum sancti illi et supra omnem praedicationem patres per Nicaeam nihil amplius de sancta Virgine dixissent, nisi quia Dominus noster Jesus Christus incarnatus est ex Spiritu sancto et Maria Virgine. Et taceo scripturas, quae ubique Virginem *matrem Christi, non Dei Verbi* et per angelos et per apostolos praedicaverunt. LN. 167, 5—11. Ad *S. Cyrillum ep. 2.* ait: Ubi cumque igitur divinae Scripturae dispensationis Dominicae mentionem faciunt, ortus ipse et mors non divinae, sed humanae Christi naturae semper tribuitur; quapropter, si rem diligentius consideremus, sacra *Virgo non Deipara*, sed *Christipara* appellanda erit. Audi, quomodo Evangelia istud proclamant: *Liber, inquit, generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham* (Matth. 1, 1). Atqui perspicuum est Deum Verbum non extitisse Davidis filium. LN. 177, 8—15<sup>14</sup>).

b) Si Maria Deum Verbum peperisset, eo ipso *naturam divinam* genuisset. Porro luce meridiana clarius est, deitatem non posse e Maria ortum ducere. Nam dumtaxat similem in natura, seu sibi consubstantialiam, mater procreare valet. Jam vero Deus Verbum in deitate non est Mariae consubstantialis. Logos ab aevo, unice a Patre generatus, in sinu Patris degens, Mariam sua aeterna existentia praecedat. Sibi anteriorem nemo parit. Evidens ergo est: creatorem universi non esse generatum a sua creatura.

Jam in 1 *Sermone contra „Theotocos“* fere omnia argumenta Nestorius congescit; Audiant haec, qui, in dispensationem dominicae incarnationis coecati, non intelligunt, neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant, qui, sicut modo cognovimus, in nobis invicem frequenter sciscitantur: *θεοτόκος* inquit, i. e. puerpera Dei, sive genitrix Dei, Maria, an autem *ἀνθρωποτόκος*, i. e. hominis genitrix? Habet matrem Deus? Inclytum Graecum! matres deis affingentem! Non peperit creatura eum, qui est increabilis. Non recentem de Virgine Deum Verbum genuit Pater (*in principio erat enim Verbum*, sicut Joannes ait), non peperit creatura creatorem, sed genuit hominem, divinitatis instrumentum. LN. 251, 21—25; 252, 1—11<sup>15</sup>).

<sup>14</sup>) Cf. LN. 181, 20—22; 182, 4. 5; 273, 18; 274, 1—18; 296, 10—16; 297, 1—3; 351, 18—22.

<sup>15</sup>) Cf. LN. 166, 29. 30; 167, 1—3. 16—19. 22. 23; 168, 4; 191, 20—22; 205, 15—26; 245, 18—27; 246, 11—13; 247, 4. 5; 304, 9—15; 338, 8. 13. 14; 351, 17. 25; 352, 13. 14; 353, 4. 5. 9—12.

Thesim quoque suam illustrat Nestorius exemplis. Sicut mater humana non est animae genitrix, quamvis corpori, quod in utero illius formatur, Deus animam infundat; ita pariter Maria non est Deigenitrix eo, quod hominem Deo Verbo sociatum pepererit. Pari jure Elisabeth esset Spiritus Sancti mater, quia in lucem edidit Joannem, cui ab utero materno Paraclitus adhaesit.

*In 8 sermone* sic populum alloquitur: Si Deus est Christus, inquirunt, et Christus e Beata Maria ortus est, cur Virgo non est Deigenitrix? Nihil occulto, quod ab illis objicitur. Formatur in utero infans, sed, quoad figuram acceperit, nondum habet animam; at ubi figuratus fuerit, jam anima a Deo infunditur. Ut igitur mulier corpus parit, sed Deus animam tribuit, neque ideo mulier dicitur animae genitrix, quia peperit animatum, sed potius hominis genitrix; sic quoque Beata Virgo, etsi *genuerit hominem, simul cum illo pertranseunte Deo Verbo*, non ideo est Deigenitrix: non enim divinitas Verbi a Beata Virgine initium cepit, sed erat natura Deus.

De beato Joanne Baptista praedicatur a sanctis Angelis, implendum esse infantem Spiritu Sancto, adhuc ex utero matris suae; atque ita beatus Joannes Baptista, Spiritum Sanctum habens, editus est. Appellabisne ipsam Elisabeth Spiritus genitricem? LN. 352, 2—19.

Nonnisi Aarii, Eunomii et Apollinaris sequaces credunt et vocant Mariam Dei Verbi genitricem<sup>16)</sup>.

5. Opponet forsitan aliquis: Nestorium ante omnia sollicitum fuisse, ut utriusque naturae Christi proprietates inconfusae, impermixtae, distinctae servarentur et non tantam diligentiam adhibuisse, ut *personalitas* divina Verbi a personalitate hominis assumpti numerice distingueretur. Subsistentia divina a personalitate humana, conceptis terminis, formaliter distinguitur in *Libro Heraclidis*, (qui a discipulis Nestorii interpolari potuit); in reliquis vero Patriarchae Contpli genuinis operibus non videtur clare distingui utraque subsistentia.

Hunc scrupulum incutienti perpendere rimarique suademus, quae Nestorius docet de illo homine, quem Maria peperit. Nonne implicite et *aequivalentibus formulis* inculcat toties: istum hominem aliquod subjectum, aliquod suppositum esse, cui ejusmodi proprietates convenient, quae nullo pacto tum naturae tum subsi-

<sup>16)</sup> LN. 166, 23—27; 184, 11—16; 273, 1—13; 300, 15—21; 301, 1—19; 302, 21—25; 303, 1—23; 339, 21. 22.

stentiae Verbi convenire possunt? Ille homo, quem Maria in lucem emittit, est creatura Spiritus Sancti, decursu temporis crescit, evolvitur, perficitur, pannis involvitur, modico lacte pascitur, circumciditur. Jam vero, ut Nestorius credidit, haec *nulla ratione* hypostasi divinae Verbi tribui et convenire poterant. Ergo ille homo, quocum unitus Filius Patris per Mariae uterum dumtaxat pertransiit, supponitur et exhibetur a Nestorio *ut aliud subjectum attributionis* seu persona distincta ab aeterna personalitate Verbi.

En verba ipsius; Quis secundum substantiam eius (i. e. Mariae) erit similis? *Is sine dubio*, qui Spiritus Sancti opificio extitit, cum *quo* erat indesinenter (ab initio) Verbum Deus, non unatus ex Maria, sed *in illo, qui ex ea natus* (est), manens, non ex Virgine initium habens, sed *illi*, qui, crescendo per menses, paulatim compositus in utero Virginis est, inseparabiliter omni tempore sociatus. Aliud autem est dicere, *illi*, qui natus est, commanere et aliud, *illum*, qui nato commanet, *hunc* esse, cui, ut nasceretur, mensium opus fuisset curriculo. Deus enim mensium et creator est, non mensium partus est, fabricator sanctae Mariae, non postea ex Spiritu Sancto in ipsa fabricatus. Peperit (Maria) filium suum primogenitum, illum quem pannis involvit et reclinavit in praesepio. Ecce habes, cujus mater fuit Christipara; i. e., pueri mater, quem peperit Maria, non deitatis, quae omnia circumstringit. LN. 246, 1—21. In *Sermone contra Proclum* ita personat; Liquida divisio dogmatis ista est: *Qui natus est* et per partes incrementorum temporibus eguit, mensibus legitimis portatus in ventre est, *hic* humanam habet naturam, sed *Deo* sane conjunctam. *Aliud* est dicere, quia *nato de Maria* conjunctus erat *Deus ille*, qui est Verbum Patris, et *aliud*, quia deitas indiguit nativitate, mensibus decurrente. Verbum enim Deus temporum est opifex, non in tempore fabricatus. Si utcumque natum Deum Verbum et simpliciter nominemus, vide, ex hoc quid conficiatur? Dicis simpliciter: „Deus est, qui natus est de Maria“. Statim haereticus infert, reprehendens: „Ergo apud vos etiam hoc in confessione est, inquit, Verbum Deum esse, qui natus est de Maria“? Audi, quae *idem Deus* Verbum de seipso testatur: *euntes, renuntiate fratribus meis: vado ad Patrem meum* (Joan. 20, 17). Sed, cum hoc dixerit, *qui natus est de beata Maria*, humanitate quidem

nobis consubstantialis erat; in eo autem, quod conjunctus Deo a nostra erat longe, quia Deus substantia melior.

Tunc ab illorum (Arianorum) blasphemia liberaberis et facile et breviter sacramentum religionis edices hoc modo: *alius* quidem Deus Verbum est, qui erat in templo, quod operatus est Spiritus et *aliud* templum praeter habitantem Deum. Conjunctionis igitur confiteamur dignitatem (unam), naturarum autem substantias duplices. Alioquin inveniatur Verbum Deus esse Sancti Spiritus creatura. Quid enim ait evangelista de *eo*, qui in ventre creatus est? Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Quod si Verbum Deus nudus ac *solus* erat, qui natus erat, creatus est. LN. 338, 1—10; 339, 22—25; 340, 1—22<sup>17)</sup>.

Wenn er sagte: Wer ist es, der von Maria geboren ist? So gebe ich ihm alsbald Antwort: Der Mensch, *der mit Gott verbunden ist*, der Mensch, der höher als der Mensch geehrt ist wegen Gottes, der mit ihm verbunden ist. LN. 335, 20—24.

6. Non latuit Nestorium, quod illa dualitas personarum in Christo, quam aequivalentibus formulis inculcabat et ubique supponebat, a catholicis sibi in crimen vocaretur. In sermone, quem 12 Decembris 430 habuit, inquit: Statim ex imperitia cum clamore insiliunt, dicentes; „quomodo *alterum* esse dixit Deum Verbum et *alterum* filium, qui missus est?!“ LN. 308, 6—8. Solutio difficultatis a Nestorio data, ut ex una parte orthodoxe sonat, ita ex altera parte subdolam cavillationem Nestorii, velit, nolit, manifeste prodit. Orthodoxe quidem respondet; non propugno dualitatem personae unius Filii, sed dualitatem naturae in Filio. Cum emphasi autem dixit „*in Filio*“, quia per „*Filium*“ intellexit *non Verbum* in carne humana a Patre missum (quod catholicum esset), sed *ét* Deum Verbum *ét* hominem. Ipse Nestorius audiatur: Non dixi alterum filium et alterum Deum Verbum, sed dixi: Deum Verbum *naturaliter* et templum *naturaliter* aliud, „*Filium*“ conjunctione unum. Sic et alibi dixi sub principio. Dico ego ad te beati Petri verbis: *aurum et argentum non est mihi, sed quod habeo, do tibi: in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, disce hominem et Deum*. LN. 308, 8—16.

Quia vero hic homo, utique per se subsistens, cum Verbo erat conjunctus, ideo „*Filius*“ appellatur. Hic igitur homo a Deo est in mundum missus; Verbum Dei in carne ab aeterno Patre

<sup>17)</sup> Cf. LN. 179, 5—13; 217, 19—22; 218, 1—8; 247, 1—21; 352, 1.

ablegari non potuit. Nam tunc Verbum a Spiritu Sancto ungeretur, legi subiceretur, quin imo, deitas Verbi non esset ubique, quoniam homo in quibusdam tantum locis commoratur. Verba sunt ex eodem sermone modo allegato; Sed id, quod dicebam: missionem a Patre nusquam divina scriptura divino Verbo consignat, sed „*Filio*“, qui est: Deus Verbum ét homo. Sic et alibi: *misit Deus filium suum*. Non dixit: misit Deus Verbum. *Ambo* enim, si ita diceret, *invenirentur locales et in parte*. Si divinitatis erat natura, quae mittebatur et qui mittebat, localis et in parte et (qui mittebatur erat localis), quia enim et qui mittitur, illuc mittitur, ubi non est. *Misit Deus Filium suum*: quoniam inconveniens erat deitatis naturam inter missos videri. LN. 308, 17—26.

Rationes illius inconvenientiae has adducit: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*. (Gal. 4, 4. 5). Qui erat factus sub lege? deitatis natura? Quomodo? Tamquam posset ostendere sacerdotibus legis praevaricationem se non incurrisse? Purificationes quoque legales suscipere habuit deitatis natura in templum ascendens hostias immolare? Et quis audiebat deitatis naturam fuisse in legem praevaricatam? LN. 309, 10—18. Quis ergo missus est? Quis sub lege fuit? Responsum clarum habes in *Hom in Hebr.* 3, 1; Legati nomen audientes, Deum Verbum putant esse missum. Mirabile dementiae genus! Quis enim legati nomen audiens, non illo (nomine) statim hominem significatum esse intelliget? LN. 232, 8—13. Apostolus, qui consors nostrae naturae est, qui ungitur, qui nuntiat captivis liberationem et caecis visus recuperationem, apostolus, qui diserte apud Judaeos dicit: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me*. (Isai. 61, 1). LN. 235, 1—5. cf. LN. 228, 8—14; 297, 4—8.

7. Analoga argumentatione demonstrare praesumpsit: Deum Verbum in carne *non esse sacerdotem* Novi Foederis. Sacerdotio fungitur ille homo, qui ex semine Abrahae ortum ducit. Si Logos incarnatus sacris operaretur, nemo esset, cui sacrificium offerretur, deitas ipsa in ara poneretur. Divinitati tamen sacra litamus. Sacerdos supponitur Deo inferior atque subordinatus, pro peccatis suis et populi hostias offert, sacrorum confectione ipse perficitur et sanctificatur. Quis autem haec de Deo Verbo praedicando, atroces illas blasphemias in ipsum Filium Patris effutiret? Paulus praeterea testatur: sacerdotem Novae Legis novissimis temporibus creatum, passibilem, nobisque in omnibus similem esse, absque



peccato. Quapropter ad sacerdotium euectus est *homo*, cui Verbum assistit.

*In Sermone contra Proclum* exclamat; quod Deus pontifex factus est, ferre non possum! Si enim Deus opifex et pontifex est, cui a pontificibus legatio exhibenda est? LN. 338, 19—21. Dei natura sacrificium suscipit, non ipsa sacrificio immolatur. LN. 271, 3. 4. Quis pontificis nomen audiens, deitatis naturam pontificem esse crediderit? Nam, si pontifex numen est, quis pontificatus ministerio colitur? Si Deus est, qui offert sacra, nemo est, cui offeratur. Quid enim Numine majus est, ut tamquam persona inferior offerat superiori? Etenim pontificem offerre sacra oportet, qui quidem ipse perfectione, piaculis effecta, indiget. Numinis autem natura perfectione per gratiam non indiget. LN. 232, 13—21; 233, 3. 4.

Quis ergo proprie ille est, qui sacrificium offert?

*Deitatis possessor*, qui ex hominibus constituitur in rebus divinis. LN. 233, 6. 7. Hic est, qui fidus factus est pontifex. Tempore enim factus est, non ab aeterno fuit: hic est, qui brevi post prouectus est ad pontificatus dignitatem, o haeretice! Consumatur vero paulatim proficiens, o haeretice, de quo jam Lucas exclamat: *Jesus autem proficiebat*. (Lc. 2, 52). LN. 235, 6—8. 17. 236, 1. 2. Nascitur ille de gente Abrahami secundum carnem et naturae communionem in genere Abrahami assumit, ut ostendens in seipso personam a peccato liberam, fiat consors vitae humanae. LN. 239, 16—19<sup>18)</sup>.

8. Si Deus Verbum, perhibente Nestorio, in terras ablegari non potuit, si sacris operari non valebat; *multo minus* immutabilis et impassibilis *Logos in carne humana* pati, crucifigi, spiritum exhalare, sepeliri potuit. Ecquis hoc ferret, ut divinitatem arbitraremur passibilem mortique obnoxiam? Jam vero, infert Nestorius, ineluctabili necessitate *deitas* ipsa caperetur, flagellis caederetur, patibulo crucis affigeretur, supremum obiret diem, sepulturae mandaretur, si Verbum in carne et non homo ille, cui Logos adhaesit, passus, crucifixus, mortuus et sepultus creditur. Rursus et hac argumentandi ratione *duo subjecta*, coexistentia in Christo, adstrui et propugnari, ambiget nemo.

*Ad Scholasticum* scribens, ait: Quod dignum est mille fulguribus atque fulminibus: violabilem dicere unigeniti divinitatem

<sup>18)</sup> Cf. LN. 234, 10—16; 236, 2—14; 238, 22—27; 240, 5—11.

et mortuum Domini Verbum et in sepulchro indignis solatio et resurrectionem meruisse cum carne; quae universa ab ecclesiastica orthodoxia sunt aliena et quae numquam recipientur a nobis. Absit enim a nobis, ut divinitatem, quae nostrarum primitiarum vivificatrix existit, hanc aliquando putem vita fuisse privatam aut indignis auxilio vivificantis majoris. LN. 192, 22—29; 193, 1. 2. *In 1 Sermone c. „Theotocos“*; non est, inquit, mortuus incarnatus Deus, sed *illum*, in quo incarnatus est, suscitavit. Inclinator est elevare, quod ruerat, ipse vero non cecidit. Exempli causa, quod dicitur, nosce: si jacentem elevare volueris, nonne contingens corpus corpore et, teipsum illi conjungendo, elisum eriges atque, ita illi conjunctus, ipse manes, quod eras. Sic et illud incarnationis aestima sacramentum. LN. 252, 14. 15; 253, 1—10. *Hujus hominis*, non deitatis, tertii diei sepultura est; *hujus pedes* detenti sunt clavis. Si autem Deus erat, qui solvebatur, quae in caput Aarii blasphemia convertatur! — dixisset Dominus: Solvite Deum istum et in triduo suscitabitur. Si mortuus est Deus, sepulturae mandatus, est inane illud in evangelio dictum: *quid me quaeritis occidere, hominem, qui vera locutus sum vobis*. (Joan. 8 40). LN. 259, 3—15. Mortalem enim, pergit in alio sermone, vivificatricem deitatem appellant et in theandricas fabulas Deum Verbum audent deducere, tamquam *idem* sit pannis involutus et mortuus. Proh nefas! Non occidit Pilatus deitatem, sed deitatis vestimentum. Non Deus Verbum sindone a Joseph *involutus* sepulturae mandatur. Sed *quis ille est, qui involvitur linteis sepulturae?* Audi evangelicis vocibus personari: *Venit homo dives ab Arimathea et postulavit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus et accipiens illud corpus, Joseph involvit in sindone* (Mt. 27, 57—59). Ter dixit „*corpus*“, nec semel meminit deitatis. Nec enim vulneraverant milites lancea deitatem. Si ipse mortuus est, qui vivificat, quis subsisteret, qui mortuum suscitaret? LN. 266, 4—23; 267, 1. 2. Si haereticus tibi ex persona ecclesiastica exprobraverit: Deum tuum mortuum esse; iratus tu ad dictum reclama: *Deus est, qui suscitavit de mortuis pastorem ovium magnum, non ipse mortificatus est et sublevatus*. LN. 276, 16—19<sup>19)</sup>.

<sup>19)</sup> Cf. LN. 166, 29. 30; 174, 23—28; 175, 1. 2; 176, 4—9. 18. 19; 230, 6—10; 234, 14—16; 262, 12—14; 267, 14—23; 268, 1—11; 269, 11—16; 270, 20—26; 271, 1. 24—26; 272, 1. 2; 331, 15—20; 333—335; 339, 12—20; 351, 18—22; 357, 5—10. 22—26; 358, 9—18.

9. Bipersonalitas Christi, quam Nestorius in omnibus anterioribus ratiociniis praesupposuit, elucet denique ex eo, quod carnem Filii Dei *vetuit eodem cultu latrae prosequi*, quem Deo Verbo tribuimus. Homo assumptus *simul* cum Deo Verbo dumtaxat *coadoratur*. Si illi adorationem divinam impenderemus, *hominis cultores* essemus. Nonne evidenter supponit Nestorius: *aliam* esse personam Dei Verbi et *aliam* hominis assumpti?

Ergone, inquit, homo simpliciter erat Christus, o beate Paule? Nequaquam! Homo est Christus in carne, in deitate vero est Deus, super omnia. Confitetur (Paulus) prius hominem, dein disserit de Deo, qui apparet ob unionem, ne quis christianis hominis latram exprobraret. Inconfusam igitur servemus naturarum conjunctionem; confiteamur in homine *Deum*, colamus divina quadam conjunctione cum omnipotente Deo *simul adorandum hominem*. LN. 248, 16--20; 249, 1—4. Adoro *simul* cum numine *illum* (hominem) utpote ejusdem divinae dignitatis portatorem. LN. 260, 6. 7. Propterea et crucifixae carnis daemones vocabulum perhorrescunt, crucifixae scl. carni conjunctum, non compassum, scientes Deum. LN. 262, 12—14. Propter ferentem veneror portatum, propter absconditum adoro apparentem. Ab illo, qui apparet, inseparabilis Deus, propter hunc inseparabilem non separo honorem. LN. 262, 3—5. Dividentes naturas, jungamus honorem; confiteamur duplicem et *adoremus* ut *unum*. LN. 276, 13—15<sup>20</sup>).

Quibus attente perpensis, unicuique cordato liquida res est: Nestorium formaliter explicite et implicite duo supposita, duo subjecta sui juris, *totidemque subsistentias*, divinam, scl. et humanam, in Christo statuisset et propugnasse. Cum autem fides catholica nonnisi *unicam*, eamque divinam personam Verbi agnosceret et credendam proponeret, potuitne placita Nestorii ut orthodoxa approbare? Quoniam igitur dogma catholicum, quoad numerum personarum in Christo, et doctrina Nestorii ita differabant inter se sicut affirmatio a negatione, lux a tenebris, nonnisi per summam injuriam Neo-Protestantes ecclesiae catholicae id crimini dant, quod Nestorium immerito qua haereticum damnaverit et damnet. Qui vero inter doctrinam Patrum Conciliorumque et hanc Nestorii discrimen non videt ullum, oculis captus est.

<sup>20</sup>) Cf. LN. 171, 15—17; 260, 12; 261, 9. 10; 335, 20—24; 336, 5—12.

B) NESTORIUS, NEGATA UNIONE UTRIUSQUE NATURAE IN RATIONE DIVINAE HYPOSTASIS VERBI, NONNISI ACCIDENTALEM CONJUNCTIONEM HUMANITATIS ET DIVINITATIS IN PROSOPO UNIONIS AGNOVIT.

Etiamsi Nestorius, quod non concedimus, unicuique naturarum Christi Jesu distinctam subsistentiam non adjudicasset, seu duas personas in Christo subsistentes non propugnasset, qua haereticus damnari potuit et debuit, quoniam aliud caput doctrinae catholicae *inficiatus est*, convenientiam nempe humanae et divinae naturae in ratione divinae personalitatis Verbi. Negata substantiali-hypostatica unitate utriusque naturae, humanitatem et divinitatem dumtaxat *accidentali vinculo* „personae unionis“ coagmentavit.

1. Recte prorsus arbitrabatur: divinitatem et humanitatem Christi in *aliquam communem naturam*, essentiam, novamque substantiam *non coalescere*. Alterutra enim illarum vel periret, vel utriusque proprietates essentialiter mutarentur. Christus proinde, aut non esset consubstantialis Patri, aut substantialiter differret a nobis. Rectissime ergo sentiebat, dum monebat: Inconfusas custodimus naturas, quae in ratione essentiae non convenerunt. LN. 224, 5. 6. In ratione essentiae non unitur natura naturae absque interitu; nequaquam enim conservat eas nova ratio existendi. *Τὴ κατ' οὐσίαν λόγῳ φύσει φύσις οὐχ ἐνοῦται χωρὶς ἀφανισμοῦ. οὐδέτι γὰρ αὐταῖς σώζεται ὁ τοῦ πῶς εἶναι λόγος.* LN. 219, 18—20. Volo igitur vos perspicaces esse in examinandis dogmatibus et neque susceptam humanitatem cum Deo Verbo confundere, neque hominem nudum eum, qui natus est, dicere, sed nec Deum Verbum contemperatum, vel commixtum, propriam amisisse substantiam. LN. 339, 3—7. Confiteamur simul humanitatem et deitatem in una generatione Filii esse conjunctam, neque deitate in carnem decedente (immutabilis est enim divinitas), neque in incorpoream naturam, carne commutata. LN. 320, 26—29; 321, 1—7. *In Sermone c. Haereticos*; Libenter, inquit, hic ab illis haereticis interrogans requiram, qui deitatis et humanitatis naturam, in unam essentiam miscendo, contemperant, quis ille hoc loco est, qui proditur et traditur Judaeis? Si enim commixtio utriusque facta est, utrumque a Judaeis est captum et Deus Verbum et natura humana. Quis igitur est, qui occiditur? In quem, dic mihi, ea, quae gesta sunt,

cadunt? Si non naturae divinae hoc accidit, cur utrumque miscere audes? LN. 229, 4—14<sup>1)</sup>.

2. *Rejecit* improbavitque praeterea *convenientiam* divinitatis et humanitatis *in ratione divinae hypostasis* seu personalitatis Verbi. Si enim utraque natura in hypostasi Dei Verbi conveniret, fatali necessitate (ut sibi persuasum esse, Nestorius affirmat), in unam quoque essentiam et naturam communem coalescere deberet; adeoque utraque non posset non confundi, non commisceri, non contemperari. Id autem doctrinam catholicam de incarnatione funditus evertit, furtim subdoleque haereses Arianorum et Apollinaristarum, mutato sono verborum, invehit; quod Nestorius pro certo compertoque habebat.

Unio καθ' ὑπόστασιν καὶ φύσιν (legimus in uno excerptorum) dolosa ratione introducitur in mysterium Christi, nam divinitas *non sinit, οὐ γὰρ ἐπιδέχεται σύνθεσιν θεότης εἰς ἑτέρας ὑπόστασιν φύσεως*, ut alia natura veniat cum ipsa in compositionem. LN. 220, 1—3. Tu vero (Cyrille) contrarium agis, qui velis, ut in duabus naturis Deus Verbum sit prosopon unionis. Ex concursu unionis divinitatis fuit unus Christus, non vero Deus Verbum, hoc enim erat aeternum. *Nau*, L. d. H. p. 127. Du hast bekannt, dass ihr eine Natur (φύσιν) für den Christus aufstellt aus der nicht körperlichen und dem Leibe, und *eine Person*, einzig der Natur der Fleischwerdung *der Gottheit*. Das ist aber eine Vermischung von zwei Naturen, eine solche, dass eben diese Naturen der Substanzen, welche sie einzeln besitzen, beraubt werden, indem sie miteinander vermischt werden. Dass er (Cyrillus) die Eigentümlichkeiten der Natur dessen, der Mensch geworden ist, und dessen, der als Mensch gehandelt hat, durcheinander mengt, ist sehr frevelhaft. 17—20; 210, 1—5. 24. 25; 211, 1. 2. Id, ut clarius dicam, et ut LN. 209, ab omnibus percipi facilius possit (affirmo): Qui Arium sectati sunt et Eunomium et Apollinarium et omnium hujus modi familiae hominum chori, studuerunt, ut divina maternitas (Mariae) inveheretur, utque, facta mixtione, ambabusque naturis minime distinctis, nihil, quod vile est, de humanitate dictum acciperetur, et ita locus jam illis adversus divinitatem pateret, *tamquam omnia de uno* (Deo Verbo) *dicerentur*, ratione personae ipsius. LN. 273, 5—13. *In 2 L. Heraclidis* adhuc clarius idem enuntiatur: Celui qui attribue

<sup>1)</sup> Cf. L. N. 197, 22—26; 198, 1—7; 208, 15—18; 271, 6—8; 329, 11—28; *Nau*, L. d. H. p. 78. 81. 83. 86. 129. 213. 261. 262. 268.

à l'unique *prosôpon* de Dieu le Verbe les propriétés de Dieu le Verbe et celles de l'humanité, et ne donne pas le *prosôpon* de Dieu le Verbe en compensation à l'humanité, celui-là détruit l'union des orthodoxes et la fait ressembler à celle des hérétiques. Nau, L. d. H. p. 213. Car le *Christ* est *les deux* (Dieu le Verbe et l'homme) par nature. C'est pourquoi les propriétés des deux natures conviennent aussi à un *prosôpon*, non celui de l'essence de Dieu le Verbe. Dieu le Verbe.. *n'est pas le prosôpon d'union des natures qui se sont unies*; de manière à unir les deux essences dans un *prosôpon* de Dieu le Verbe, car il n'est pas les deux par essence. Nau, L. d. H. p. 146<sup>2)</sup>.

3. *Utraque* inconfusa, immutata, impermixta *natura* Christi *convenit in unico prosopo unionis*<sup>3)</sup>. „Duplum naturarum unum est propter hanc unitatem. LN. 263, 15. 16. Quid autem reapse est illud prosopon unionis? Non ratio formalis divinae hypostasis, Verbi; non aliquid tertium, quod conjunctionem naturarum in ratione communis vel novae essentiae consequeretur. Prosopon unionis non est etiam aliqua tertia persona *physica*, distincta a Verbo et homine. „Non duas personas unam personam facimus“. LN. 196, 21. Prosopon unionis est ratio „Christi“, ratio „Filii“ ratio „Domini“. In fragmento homiliae super Matth. 22, 2 legimus: Die Einheit der Naturen ist nicht getrennt. Höre in deutlicher Weise ebendasselbe. Christus ist unteilbar in dem Christussein, er ist aber doppelt in dem Gott- und Menschsein; er ist einfach in der Sohnschaft; in dem, welcher angezogen hat und in dem, welcher angezogen ist, doppelt. In dem prosopon des Sohnes ist er ein einziger, aber, wie mit zwei Augen, geschieden in den Naturen der Menschheit und Gottheit. LN. 280, 1—11<sup>4)</sup>. Unus „Filius“, quod visibile est et invisibile, unus „Christus“ et iste, qui utitur et id, quo utitur, naturae duplices, sed filius singularis. LN. 299, 19—21.

4. Sollers *attentaque meditatio plurimorum Nestorii effatorum paulatim ipsam rationem formalem personae unionis patefacit et perspectam reddit*. Id, quo duo, i. e. Deus Verbum subsistens et homo cum illo sociatus unum subjectum attributionis efficiuntur,

<sup>2)</sup> Cf. LN. 166, 18—30; 167, 1—3; 170, 28—30; 171, 1—9; 194, 6—10; 301, 11—17.

<sup>3)</sup> LN. 171, 6—8; 175, 14. 15; 176, 6. 7. 15—18.

<sup>4)</sup> Cf. LN. 330, 8—19; 331, 1—8.

id, quod utrumque inseparabiliter devincit, est *nomen* ipsorum *commune*. „Christus“ enim, „Filius“, „Dominus“ et cetera huiusmodi sunt „appellatio“, „*denominatio*“ utriusque naturae designativa; hoc *nomine* Deus Verbum et homo significatur in S. Scripturis. Ergo „Christus“, „Filius“, „Dominus“, „Unigenitus“, „Jesus“ *non est idem* quod Deus Verbum incarnatum, sed est: τῶν δύο φύσεων προσηγορία σημαντική (254, 10); τῶν δύο σημαντικῶν (269, 19); τῶν δύο φύσεων ἐστὶ σημαντικῶν (274, 3); τὸ ὄνομα τὸ μὴνόν τὰς φύσεις δύο (LN. 274, 8, 12); τὸ ὄνομα τὸ σημαῖνον ἀμφότερα (295, 9); τὸ ὄνομα τὸ σημαῖνον τὰς δύο φύσεις (358, 14, 15); μῆνυμα τῶν δύο φύσεων (295, 8); ὄνομα κοινόν (358, 11).

Haec enim *vox*, scribit Nestorius ad Caelestinum, in nomine, quod significat utramque naturam, id est Christus. LN. 171, 12. 13. Ad Cyrillum vero: Subjungit (S. Paulus) *nomen* hoc, „Christus“, quod utramque naturam patibilem, inquam, et impatibilem, in unica persona ἐν μοναδικῷ προσώπῳ denotat. LN. 176, 5—7. *Ep. ad Scholasticum*; „Christus“ et „Jesus“ et „filius“ et „unigenitus“ et „dominus“, ambo haec *appellatio* ista significat. Tanquam duarum naturarum, i. e. divinitatis et humanitatis, significativum protulimus nomen Deigenitricis et hominis genitricis. LN. 192, 9—13. Etenim „Christus“ et „Filius“ et „Dominus“ duarum naturarum est designativum et aliquando divinitatem, aliquando humanitatem, aliquando utramque significat. LN. 269, 16—20. Ostensum est igitur tibi, quia „Christi“ appellatio modo templum, modo inhabitantem Deum in illo demonstrat. Exige, ubi etiam „Dominus“ in filii persona ponatur et nunc quidem hominem, nunc Deum ostendit. LN. 270, 7—11. Vidisti, quemadmodum, „Christus“ et „filius“ et „dominus“, quando de unigenito meminit, Scriptura modo humanitatis, modo divinitatis, modo autem utriusque vult existere *significativa vocabula*. LN. 271, 20—23. Saepe diximus, quomodo „Christi“ nomen utriusque sit *appellatio significativa*, id est humanitatis et divinae naturae. LN. 317, 1—5.

Ein gemeinsamer der beiden Naturen ist der *Name* der Sohnschaft. Ich sage „der Sohn“, — zwei Naturen lehre ich; ich sage „der Christus“, und keine von den Naturen trenne ich in der Sohnschaft. LN. 336, 20—24. Ich halte also fest die zwei Naturen in der *einen Bezeichnung* des Christus, weil nicht jener andere

(nämlich der Logos) abseits von jenem anderen (nämlich dem Menschen Jesus) bekannt ist. LN. 361, 1—4<sup>5)</sup>

5. Praeter „homonymiam“ seu commune nomen, quo tam Deus Verbum quam homo assumptus designatur, alterum elementum personae unionis constitutivum est *communio* atque *convenientia* Dei Verbi et hominis *in una auctoritate, dignitate, potentia* atque *dominatione*.

Dic de assumente, quod Deus sit, adjice de assumpto, quod forma servi, infer postea conjunctionis ἀξίωμα dignitatem, quod duorum *communis* sit *auctoritas ἢ ἀθθεντία*, quod duorum eadem sit *dignitas, ταὐτὸν τὸ ἀξίωμα*, manentibusque naturis, confitere unitatem dignitatis, *τὴν τῆς ἀξίας ἐνόνητα*.

Meministis autem prorsus eorum, quae saepe dixi vobis, cum duas in Christo Domino naturas distinguerem; duae sunt in ratione naturae, *in ratione dignitatis unum, τῇ δὲ ἀξία μοναδικαί*. Dignitas enim naturarum ob unionem una est, naturis quidem in suo proprio ordine prorsus manentibus, sed dignitate conjuncta, ut jam dixi, *in auctoritatem unicam*. LN. 354, 7—18. Audi Paulum utrumque clamantem et deitatis unigeniti aeternitatem et humanitatis ortum recentem et societatis vel *conjunctionis unam factam esse dignitatem*. LN. 263, 16—18; 264, 1. Propterea volo vos cum securitate plaudere. Scissio non est conjunctionis et dignitatis et dominationis et ipsius esse „Christi“. Cum filius sit Christus, in his non est scissio. Divinitatis et humanitatis adest divisio. Christus *in ratione Christi* est inseparabilis, filius *in esse filii* est inseparabilis. Non enim habemus duos Christos, neque duos filios. Non enim apud nos primus habetur Christus et secundus, nec alius et alius, nec iterum alius filius et alius, sed ipse unus *duplex est non secundum dignitatem*, sed secundum naturam. Reverentia duarum naturarum una propter *dignitatem* ejus, qui utraque conjunxit. LN. 280, 17. 18; 281, 1—18. Agnoscimus igitur humanitatem infantis et divinitatem, confitemur differentiam naturarum *in inseparabili potentia dignitatis, unicam filiationem* servamus in natura divinitatis et humanitatis. LN. 328, 5—8. Conjunctionis igitur confiteamur *dignitatem unam*, naturarum autem substantias duplices. LN. 340, 17, 18<sup>6)</sup>.

6. Asseverante Nestorio, unus Christus non scinditur in duo; *unum prosopon unionis* habet etiam ideo, quia humana Jesu

<sup>5)</sup> Cf. LN. 182, 3—5; 218, 1. 2; 269, 27. 28; 341, 2. 3; 353, 7. 8.

<sup>6)</sup> Cf. LN. 271, 6. 7; 316, 15—17.



voluntas ita arctissime divinae adhaesit, tam ardenti amore et studio in exsequenda divina desideria, consilia atque praecepta ferebatur, ut *unam* cum Deo Verbo *voluntatem* habere credatur. Vicissim, Deus Verbum amicissimo complexu fidelissimum sui socium ita strinxit, ut *una* esset *potentia* atque *operatio* utriusque. Amor ergo mutuus, *benevolentia et complacentia*, ex iisque resultans perfectissima conjunctio voluntatis et operationis, in tertium elementum personae unionis.

Conjunctio secundum voluntatem, ait Nestorius, et operationem, conservat (naturas) immutatas et indivisas, demonstratque, quod *una illarum facta sit voluntas et operatio*. LN. 219, 20—22. Unio autem secundum complacentiam, conservans unam conjunctorum voluntatem et operationem, designat quodammodo, et visibilem efficit illum, qui est invisibilis. LN. 220, 4—6. *In sermone in mysterium epiphaniae*: Inconfusas, inquit, custodimus naturas, quae in ratione essentiae non convenerunt. Propterea unam earum *voluntatem* et *operationem* et dominationem videmus, *dignitatis* aequalitate ostensas. Deus enim Verbum assumens, quem praedestinaverat, hominem, *in potestatis ratione* ab ipso *non est separatus*, juxta praescitam a se dispositionem. LN. 224, 5—10. *In sermone c. Arianos* ait: Quis nunc benignitatis tam immensum aspiciat pelagus, naturam cum suo opifice dominantem et conjunctam homini deitatem, nihil sine hac jubentem, nullum absque isto judicantem, cumque eo vivorum curam in summa providentia gerere et cum ipso mortuos suscitare. LN. 243, 23—25; 244, 1. 2. Nihil sine isto suo vestimento viventibus donat, non judicat mortuos sine isto; unum esse voluit cum isto deitatis suae regnum. Dominica humanitas, quae sempiterno conjuncta est, eadem ac pariter potest, quae Deus. LN. 298, 24. 25; 299, 1. 2. 4—6<sup>7)</sup>. Eadem doctrina in *Libro Heraclidis* reperitur. L. 1 c. 1 n. 47: En effet les natures qui sont unies volontairement, reçoivent l'union, non en une seule nature, mais pour (produire) l'union volontaire du prosôpon de l'économie. *Nau*, L. d. H. p. 35. L. 1 c. 1 n. 72; Par les actions (l'homme) s'est fait une image (de Dieu), afin de vouloir ce que Dieu voulait, pour qu'il n'eût *dans les deux qu'une seule et même volonté* et *un seul prosôpon* sans division; celui-ci est celui-là et celui-là est celui-ci, et pourtant *l'un et l'autre* subsistent. *Nau*, L. d. H. p. 63 cf. *Ibid.* L. 1 c. 1 n. 58 p. 51.

<sup>7)</sup> Cf. LN. 224, 14. 15; 290, 1—3.

7. Cum igitur homo a Verbo assumptus excellentissimum sit divinitatis instrumentum<sup>8)</sup>, deitatis manus, quae nos de mortis amplexu ad vitam eripit novam<sup>9)</sup>, cum Christi humanitas sit radius, speculum, imago divinitatis<sup>10)</sup>, obses pacis, indignationis divinae propitiatorium<sup>11)</sup>, consiliorum Dei curia, animata regis purpura<sup>12)</sup>, auctoritatis divinae simulacrum, occulti iudicis statua<sup>13)</sup>, sanctissimum Dei templum<sup>14)</sup>, jure merito homo assumptus simul cum Verbo coadoratur. Propter communitatem cultus, quem homini Jesu una cum Verbo impendimus, Christus in duo non scinditur. *Communitas* ergo illius *individuae venerationis et coadorationis* — en quantum elementum constituens personam unionis.

*Ad Alex. Hierapol.* ita scribit: Duarum naturarum una est auctoritas, una potentia, una dominatio et *una persona secundum unam dignitatem et eundem honorem*, καὶ ἐν πρόσωπον κατὰ μίαν ἀξίαν καὶ τὴν αὐτὴν τιμὴν. LN. 196, 15—17. Non alius erat Deus Verbum et alius ille homo, in quo factus est. *Unum* enim erat utriusque *prosopon dignitate et honore*, ἐν γὰρ ἀμφοτέρων τὸ πρόσωπον ἀξία καὶ τιμῆ, adoratum ab universa creatura, nulloque modo aut tempore scissum diversitate appetitus et voluntatis. LN. 224, 12—15. Non divisus Deus ab illo, qui apparet, propterea non separa cultum inseparabilis; χωρίζω τὰς φύσεις, ἀλλ' ἐνῶ τὴν προσκύνησιν; separo naturas sed unio adorationem. Intende in haec, quae dicuntur! LN. 262, 4—7. Intremiscamus itaque dominicam incarnationem, formam, quae Deum portat, una cum Deo Verbo colamus, tamquam divinae auctoritatis inseparabile simulacrum, tamquam imaginem absconditi iudicis. Duplicem confiteamur et adoremus, ut unum. Duplum enim naturarum est unum propter unitatem. LN. 263, 11—16. *Reverentia* naturarum *una* propter dignitatem eius, qui utraque conjunxit. LN. 281, 17. 18<sup>15)</sup>.

8. Undelibet Nestorianum unionis prosopon speculetur, ipsius character *moralis et accidentalis* animum percellit. Duo distincta

<sup>8)</sup> LN. 205, 18. 19; 247, 6; 252, 10. 11; 260, 9. 10.

<sup>9)</sup> LN. 261, 9. 10.

<sup>10)</sup> LN. 276, 10; 261, 5. 18.

<sup>11)</sup> LN. 260, 18. 21. 22.

<sup>12)</sup> LN. 260, 12; 261, 7.

<sup>13)</sup> LN. 276, 12. 13.

<sup>14)</sup> LN. 168, 3; 178, 21. 22; 206, 11; 252, 13; 259, 9; 289, 16—21, 340, 23.

<sup>15)</sup> Cf. LN. 276, 11—14; 336, 1—12.

supposita, in quae Nestorius Jesum Christum, velit, nolit, reapse divisit, tenui velo personae unionis vix aegre conteguntur. Ratio autem convenientiae Dei Verbi cum homine assumpto assignatur a Nestorio *dumtaxat* moralis et accidentalis.

a) Deum Verbum et hominem dicit quidem Nestorius uno communi *nomine* conjungi. Ast communitas nominis, quo diversa membra ejusdem familiae gloriantur, non efficit ex illis unam personam physicam. Communitate igitur nominis „Christi“, „Jesu“, „Domini“ *unum individuum subsistens* ex duobus coëxistentibus non constituetur umquam!

b) Regis et ministri, ducis et legati *una* prorsus *dignitas, auctoritas, potestas* et majestas esto! Sed rex et minister, dux et legatus eo, quod eadem moraliter dignitate, auctoritate, potestate et majestate pollent, numquid propterea duo diversa, physice et hypostaticè separata, supposita esse desinunt? Duumviri et triumviri diversissimae erant personae physicae, etsi ejusdem reipublicae gubernaculis potirentur. Verbum ergo assumens et homo, humana subsistentia praeditus, quamvis divinam dignitatem, auctoritatem et potentiam participare dicatur, *unum* sunt subjectum *dumtaxat moraliter*.

c) Unitatem voluntatis atque operationis humanae et divinae Nestorius adeo extollit, ut Patriarcham Constplum Monothelismi et Monergetismi praecursorem esse crederes. Nihilominus duae voluntates et connaturales operationes Christi, tum essentialiter tum hypostaticè distinctae, utut amice ad unum finem dirigantur, nisi sint ejusdem numero suppositi, *moraliter et accidentaliter* tantum copulantur. Jonatham et Davidem, quorum cor unum et anima una erat, unum subjectum physicum fuisse, dicet nemo!

d) Dei inhabitantis et templi una quoque adoratio esto! At-tamen *obsequium cultus* nostri ex adorato Deo et coadorato homine, qui a Deo essentialiter et hypostaticè distinguitur, quo pacto et jure unam efficit personam? Nestorius arbitrabatur: Deum Verbum inseparabiliter altiorique *praesentiae genere* inhabitasse suum singulare templum, hominem, scilicet, assumptum. Vehementer tamen decipiebatur. Nam si illius *specialis praesentiae genus* in hypostatica unione Verbi cum carne Jesu *non innititur* et ex ea non pullulat, a praesentia supernaturali Dei Trini in animis justorum discriminabitur tantum aliquo gradu.

Quae cum ita sint, consideranti liquet, quam longe Nestorius

aberraverit a tramite veritatis revelatae. Christum Dominum in duas personas evidenter dividendo, illasque dumtaxat morali et accidentali prosopo unionis colligando, jure merito anathemate plexus est. Quae enim Nestorius de mysterio unionis hypostaticae docuit, catholica non erant, quamvis se verae orthodoxiae defensorem atque custodem reputasset.

## CONCLUSIO

Vita longaeva fruuntur nonnullae fabulae, quas inter commentitia illa Nestorii „orthodoxia“ principem tenet locum. Olim a calvinista Bruguier miserabiliter compilata<sup>1)</sup>, labentibus post saeculis toties decantata fuit. Nostro aevo, novis depictus coloribus, in „prosopo orthodoxi“ producitur in scenam Nestorius, celebraturque ut innocens victima a Romanis Pontificibus jugulata.

Si rationem exquiris, cur in castris Protestantium Nestorius tot advocatos nactus sit, respondeo: quia a *sede Romana* damnatus fuit! *Odium autem implacabile*, in cujus opaca luce omnia gesta Summorum Pontificum a Neo-Protestantibus dijudicantur, Nestorium quoque, (sicut et alios ab ecclesia catholica condemnatos,) ad astra evexit, „heroum“ atque „martyrum“ fastis adjunxit, inter orthodoxos fidei pugiles collocavit.

Rationem secundam tritum proverbium indicat: „*similis simili gaudet*“.

Nestorius fuit primi ordinis „rationalista“, qui *duas personas* in Christo *statuendo*, mysterium incarnationis Dei Verbi de medio sustulit. Doctrinam in ephesino concilio definitam ideo admittere recusaverat, quia, quo pacto Deus Verbum in duplici natura subsistere possit, *comprehendere non valebat*. Fugiebat nempe aciem mentis suae; quomodo humanitas vera, integra, quamquam impersonalis, dumtaxat cum subsistentia Verbi et non eo ipso formaliter cum divinitate jungatur; propterea *hypostaticam* unionem inficiatus est, secundam nativitatem Verbi, veram passionem et mortem Dei in carne negavit. Maluit igitur duas personas in Christo coexistentes fingere, quoniam sic unice con-

---

<sup>1)</sup> Cf. J. Bruguier, Disputatio de supposito, in qua plurima hactenus inaudita de Nestorio tamquam orthodoxo et de Cyrillo Alexandrino aliisque episcopis Ephesi in synodum coactis tamquam haereticis demonstrantur, Francoforti 1645.

fusionem naturarum se evitaturum sperabat. Incidit in Scyllam, qui voluit evitare Charybdim!

Verum equidem, ne angelicus intellectus comprehendit, quo modo humanitas cum subsistentia et in subsistentia Verbi uniatur, quin formaliter divinitati in ratione naturae conjungatur. Ast, sicut angeli, ita quoque homines Deo attestanti credere possunt et debent. Unio vero hypostatica *non comprehendenda*, sed simpliciter *credenda* proponebatur et proponitur.

Neo-Protestantes, qui *nullum mysterium agnoscunt* et ut „irrationale“ respuunt, Nestorio praecise ideo plaudunt, quoniam Christum magis „humanum“, magis „concretum“ commentus est<sup>2)</sup>. Nestorianus „Christus“, i. e. homo subsistens, humana personalitate praeditus, cum Filio Dei Patris „aliquaqualiter“ sociatus, magis ipsis placet, quam Verbum carni humanae hypostatice unitum.

Quae S. Augustinus de „rationalistis“ sui temporis dixit, mirifice Nostratibus aptantur; Sunt, inquit, sapientes et prudentes, sed huius mundi, non illius a quo factus est mundus. Nam si essent

<sup>2)</sup> En verba *Reinholdi Seeberg*; Weit entfernt davon, diese Lehre einseitig zuzuspitzen, hat er (Nestorius) vielmehr *die Vereinigung* des Logos mit seinem Organ, dem Menschen zum Zweck eines einheitlichen Wirkens *möglichst deutlich ausgesprochen*. Man sagt kaum zu viel, wenn man sein Buch als den bedeutensten und scharfsinnigsten Versuch zur *Lösung des christologischen Problems bezeichnet*, den die alte Kirche gebracht hat. L. d. G., II. Op. cit. p. 218. 219.

Ponderentur, quae *Frid. Heiler* candidè fatetur; Nestorio, malgrado la salda volontà di restar fedele alla ortodossia, era proprio un razionalista, cui mancava il senso del paradosso e del mistero inintelligibile per mezzo di concetti corretti, *un razionalista come Ario era stato*. Le tesi nestoriane erano molto più evidenti ad un pensatore sagace (!) di quelle cirilliane. Ma appunto per questo (?) la fede cattolica nell' incarnazione si difendeva contra di esse. *Tutti gli eretici*, dagli gnostici e dagli ebioniti in poi, *sono sempre stati più ragionevoli* dei sostenitori della dottrina della Chiesa. (sic!?) La loro insistenza unilaterale sull' elemento umano o divino soddisfaceva sempre il pensiero puramente logico, ma distruggeva o affievoliva *il mistero*, che consiste appunto nell' unione di due poli assolutamente contrastanti: *perfectus Deus, perfectus homo*. Questa tendenza alla razionalizzazione di un mistero della fede assolutamente sopraconcettuale, „iperlogica“, caratterizza anche tutta la raffigurazione cristologica di Nestorio. Precisamente per questo, la Chiesa, se non voleva diventare infedele al carattere assolutamente soprarazionale del mistero della deità-umana in Christo, doveva opporsi a questo razionalismo, e con un decreto dommatico, tutelare il mistero dell' incarnazione da una interpretazione razionale. Cf. Art. *La Madre di Dio*, Ricerche Religiose, VII. (1931) p. 403.

in vera sapientia, quae Dei est et Deus est, intelligerent a Deo carnem potuisse suscipi, *nec eum in carnem potuisse mutari*, intelligerent eum assumpsisse, quod non erat, et perman-  
sisse, quod erat. Hoc tam grande miraculum malunt illi *fictum putare*, quam factum. Ita in Christo, homine et Deo, *credere, quoniam non possunt humana*, contemnunt; quoniam non possunt contemnere divina, non credunt<sup>3)</sup>. Nil mirum. Nam ut profunde animadvertit Pius XI. in Litt. Encycl. „*Lux Veritatis*“; quandocumque ab infallibili Ecclesiae magisterio se quis pertinaciter eripit, certam in eo veramque de Jesu Christo doctrinam sensim deficere lamentamur<sup>4)</sup>.

Romae

L. Lohn.

---

<sup>3)</sup> S. August., Sermo 184 c. 1. MPL. 38, 995. 996.

<sup>4)</sup> Cf. *Acta Ap. Sed.*, 1931 n. 14 p. 509.